NES

TI


ap.

3

6

E C

Comp. tynt —



M. ANTONII

MVRETI,

PRESBYTERI I. C.

ET CIVIS ROMANI

ORATIONVM

VOLVMEN SECVNDVM.

Recens in lucem editum.

Adiunximus etiam Caroli Sigonij Oratoris disertissimi Orationes VII.

EDITIO POSTREMA.



COLONIAE AGRIPPINAE,

Apud IOANNEM KINCKIVM sub Monocerote.

Anno MDC. XXVIII.

Cum gratia & Priuileg. Cæs. Maiest.

FRANCISCVS BENCIVS SOCIETATIS IESV,

SCIPIONI GONZAGÆ Cardinali S. P. D.

QVod facturus fuerat M. Antonius Muretus in edendo posteriore Volumine Orationum suarum si adhuc viueret: quod post eius obitum fratris filius summa spe & animi, & ingenii adolescens, nisi immatura morte præreptus fuisset; id mihi viri optimi tibiq; addictissimi, M. Antonius Lanfran. & Ludoui. Riualdus ab hoc instituti hæredes ad pias causas, vt facerem, & valde quidem ex mea voluntate persuaserunt, tuæ enim amplitudini destinatus liber exit in publicum, & velut posthuma prole te tutorem requirit: hoc profecto iustius, quo viginti abhinc annis germanum eius fratrē, in tuum patrociniū accepisti: hoc cōfidentius, quo à tua dignitate nunc amplio-

re maius ſperare ornamentum, & præſidium meritiſſimo poteſt, neque vero tam diu diſtuliſſemus expectatam à multis, & expetitam editionem, niſi in conquirendis orationibus, quæ partim in Mureti aduerſariis erant diſperſæ, partim ab amicis fuerunt exprimendæ (& ſi non repertæ omnes, & harum aliquot imperfectæ) multum fuiſſe elaborandum: hoc dũ efficimus, quadriennium effluxit. & ſequentur deinceps alia diuini illius ingenii monumenta. Vtinam autem qualis tua erit tutela commendati operis, talis mea eſſet commendantis facultas: oſtenderem profecto Mureti orationes propter ſummam verborum elegantiam, & copiam rerum pulcherrimarum, tibi viro eruditiſſimo, politiſſimoq; proprie commendatas, & te propter incredibilem magnitudinem animi, grauitatem, fidem, ſapienter delectum, qui earum commendationem ſuſciperes, fuiſſe. Sed Mureti eloquentia laudationem meam non deſiderat, & laus tua ita verè accurateque eſt à præſtantiſſimo oratore viroque ſapientiſſimo in epiſtola ad prius volumen expreſſa, vt ea adducti omnes, etiã qui non viderunt, ſingulares virtutes tuas admirari, ac

ri, ac suspicere cogantur, quamquam mihi sunt & aliæ causæ tum communes multæ cum meis sodalibus, quorum omnium eximia est erga te obseruantia, tum propriæ aliquot meæ: tot enim extiterunt tuæ erga me humanitatis argumenta, tãque illustria, vt magnopere lętatus sim extitisse tempus quo intelligerent omnes, & inprimis, Bentium Mureti discipulum, hoc etiam à magistro didicisse, vt in Scipione Gonzaga, Cardinale amando & colendo nemini concedat. Vtriusq; rei indicium erit nouum hoc munus, quod tibi, vt renouat memoriam mortui, & declaret voluntatem superstitis, ipsum vero sub vmbra tui præsidij nunquam intereat offertur. Vale, è Collegio Romano.

IACOBVS ROSETVS M. ANTONIO ROMITO VINCENTINO S. D.

Constat diuersis ætatibus plures tum in Italia, tum in aliis prouinciis extitisse, qui Latine dicendi aliqua laude floruerunt. Sed quæ ab illis scripta in eo genere feruntur, quæ epistolæ Orationesque recensentur, non frequenter videmus in manibus hominum versari: quin ex plurimis selectas esse perpaucas easque solas, cæteris delitescẽtibus, apparere apud quosdam videmus, cuius rei causam perquirere, & hic exponere opportunum videtur, dum ex hac inuestigatione simul, quam magno in pretio Orationes Mureti sint habendæ, intelligi cupimus. Itaque oratio cum verbis rebusque constet, mi Romite, optime atque erudite adolescens, plures fuerunt qui bene latinis verbis, elegantib. etiam, atque ornatis suas aspersere orationes: quarum lepore homines capti aliquamdiu illis se flosculis oblectarunt: sed vt flores alii alios pro tempore excludunt, ita succedentibus aliorum orationib. pari vel politiori artificio compositis, priores cedere posteriorib. consueuere. id quod in his contingere rebus, quæ delectant, nõ mirum. Homines enim gratia & fauore, præsentium nouitatẽ prosequuntur: sic apud Marcũ Tulliũ videmus in libello de claris Oratoribus in singulis fere ætatibus succedentiũ oratorum eloquẽtia, eorum, qui antecesseru nt, eloquentiam obrutam quodammodo

dammodo fuiſſe. Ad voluptatem autem videtur omnis orationis ornatus quæſitus: ſed vt non ſemper ludo & ioco vti decet, ſic neque in oratione verborũ ſemper delectationem venari: præterea in iiſdem verſantem ſemper oblectationibus ſatietas contemptuſque conſequitur: ergo ſimiliter prioribus omiſsis, quæ placebant orationibus, ad recentiorum venuſtatem libenter conuertimur. Hæc autem loquor de ea tantum oratione, in qua præſtat rebus ipſis ornatus. Nam in qua res nullæ, aut plane futiles ſubſunt, ea, Cicerone etiam teſte, aut nulla ſit neceſſe eſſe, aut omnium irriſione ludatur. Itaque à rebus ipſis, & ſententiis omnem inprimis manare orationis decorem, & gratiam fatendum; illæ enim ſpectantur inprimis, illæ expetũtur, quæ vtilitatem fructumque humano generi afferunt, quod cum ad ſeueritatem potius, & ad quædam grauiora ſtudia videatur, vt ait Cicero, factum, etiam quod mentem afficiat, non ſenſus tantum, quod proſit officiis vitæ, non quod otium, & libidinem foueat, exquirere in oratione & optare debet. Ex quo Ciceronis eloquentia, quæ doctrina, quæ ſentẽtiis illuſtris erat, Hortenſii obſcurauit inanem eloquentiam, quam verborum magis lenociniis ad ſenſus hominũ accommodabat. Quamobrem ex iis perſpici poteſt, quam bene, quam laudabiliter ſit de M. Antonii Mureti Orationibus ſentiendum & iudicãdum. Tractant enim illa res ſerias, tractant res graues, nec delectant modo, ſed magis docent: cum lepore elocutionis ornatæ, quo ipſe noſtro tẽpore præſtitit, cõiunxit pulchrarum rerum & honeſtarum explicationem: quæ nõ tãtum cognitionẽ mentemque ornare, ſed ad agẽdũ etiã, & ad vitæ munera tã in priuatis rebus, quã in publicis cõferre poſſũt. Quare tãtũ res iſta apud homines põderis habere,

 bere,

bere, tantum valere debent, vt hæ orationes quibus quasi conferunt genium non interire, non omitti, esse passuræ videantur: Siquidem.

Victurus genium debet habere liber.

Idcirco hæc intelligens vir doctissimus, & sacerdos religiosissimus, Franciscus Bencius, non tam amicitiæ iuri, quam sibi optimo iudicio voluit in his orationibus edendis satisfacere. Has autem an non perspicuum est humanioribus etiam iuuenum studijs conducere? vel ex nomine ipso id patet: neque enim perfecta iuuenum studia videntur, nisi aliquibus etiam Rhetoricis præceptis imbuantur, huc pertinent Orationes Mureti, ergo ex his accedet iuuenum literis, & doctrinæ emolumentum. Quapropter eas ad te, mi Romite, cuius optimo ingenio & studiis bene cupio, mittere eo magis libuit, quod viderem cum iam iam sis ad ius ciuile cognoscendum processurus, lectionem Orationum Mureti, qui & Iurisconsultus fuit, aliquando posse egregios animi tui conatus ornare. Vale

Venetiis.

INDEX

INDEX ORATIONVM SECVNDI VOLVMINIS.

CARO-

ORATIONVM.

CAROLI SIGONII.

ERRA-

ERRATA.

1. PAg. 86. *lin.* 5. vlle. *leg.* velle. 1. pa. 116. *li.* 16. cognouit, is. 1. p. 156 *l.* 4. annum *le.* regnũ. 1. p. 161. *li.* 8. à fine loci. *leg.* lothi. 1. p. 208. *li.* 10. à fine, auaritiæ, *le.* amaritie. 2. p. 20. *li.* 14. acerbitatibus. *ibid li.* 19. nobis *le.* bonis. 2. pa. 37. *li.* 11. Cicero. *le.* Circæo. 2. pag. 60. *li.* 7. à fine. meum. *le.* mecum. 2. p. 137. *li.* 6. vita, *leg.* via, Cætera leuiora per se corrigat.

AD M.

ANTONIVM MVRETVM PRESBYTERVM, I.C. ET CIVEM ROMANVM, ORATOREM ac poetam clarissimum.

RHethora te tantum si secula prisca tulissent
Iam iam immortalis lingua diserta foret.
Secula si tantum nouissent prisca poetam,
Iam iam immortalis Musa canora foret.
Rhetora sed postquam, simul hæc genuere poetam
Secula, noster eris Virgilius, Cicero.
Te tua posteritas Ciceronem sæpe vocabit:
Teque vt Virgilium mente manuq́; teret.

Aliud.

Delitiæ, Veneres, grauitas simul, ac maiestas,
Miscentur scriptis, dicte Murete, tuis.

Aliud.

Tantus es Orator, tantusque Poeta, Murète:
Vt poßis dici, Tullius atque Maro.

Aliud.

Dum ferit (heu) tragico CICERONEM, *Antonius Ense,*
Elinguata silent, Curia, Rostra, forum.

Te

Te vero veniente redux patriæque, foriq́;
Rostrorumque decus, deliciumque redit.
Accisoque olim, graditur iam Roma Cothurno
Seque, illam veterem, Roma nouella, canit
Sic MARCE *es* MARCVS; *Ciceroque es magne Murete*
Seu linguam accipiat Curia; siue manum.
Quid rear? anne tuo est, Ciceronis lingua Palato?
An tua iam dextra est, quæ Ciceronis erat?

ROMÆ

ROMAE AD S. TRINITATEM IN *colle hortulorum.*

M. ANTONIVS MVRETVS LEMOVIX AD DEI MISERICORDIAM OBTINENDAM.
PIORVM PRECIBVS ADIVVARI CVPIENS, CORPVS SVVM POST MORTEM HOC LOCO SEPELIRI IVSSIT.
ATTRIBVTIS MILLE SCVTATIS HVIVS MONAS. SODALIBVS, IMPOSITOQVE ONERE PERPETVI ANNIVERSARII.
NICOLAVS DE PELLEVE CARD. SENONEN. TESTAM. EXECVT. PONI MAND.
VIXIT ANN. LIX. MEN. II. OBIIT PRID. NON. IVN. cIↃ.IↃ.LXXXV.
M. ANT. MVRETO MAGNI HVIVS MVRETI FRATRIS FILIO AETATE QVIDEM, ET NOMINIS CELEBRIT. MINORI, SPE AVTEM ET EXPECTATIONE PROPE PARI IMMATVRA MORTE PRAERVPTO.
LVDOVICVS RVALDVS LEMOVIX, ET M. ANT LANFRANCVS VERON. EIVS TESTAMENTO AD PIAS CAVSAS FACTO SCRIPTI EXECVTORES POSS.
VIXIT ANN. XVI. MEN. V. OBIIT. PRID. NON. OCT. cIↃ. IↃ. LXXXVI.

MARCI ANTONII MVRETI PRESBYTERI.

De mysterio & festo Circumcisionis Dominicæ.

ORATIO I.

Habita in Sacello Pontificio Kal. Ian. M. D. LXXXIV.

QVOD FELIX FAVSTVMque sit tibi Beatissime Pater, vobis Patres Amplissimi, vobisq; omnibus & vniuersæ Reipublicæ Christianæ, exorientis anni primus hic nobis illuxit dies. Quo die optare ac precari mutuo solebant veteres, vt sibi annare, perennare feliciter liceret; sedulóq; operam dabant, vt dira, & tristia, & feralia ne nominarent quidem; sed bona tantum verba dicerent, iurgijs vtiq; omnibus abstinerent: læta inter se omnia & amica loquerentur. Quo nos æquitus est, coniunctis & vocibus & animis tibi Beatissime Pater, cuius vita tanto opere bonis omnibus optabilis est, cuius salute, magna ex parte, tranquillitas orbis terrarum continetur, cuius ex hilaritate, publica hilaritas pendet, non hunc modo, sed secuturos etiam annos faustos ac felices precari, & omni ope conari, vt ea tantum loquamur quibus Christianas mentes hilarari par est: dira autem & tristia, id est, ea quæ DEO displicere nouimus neque loquamur, neque cogitemus. Ac mihi quidem huius anni principio, plura etiam solito concurrere videntur, pro-

Exordium sumit ab antiquorum cõsuetudine in anni exordio.

Excurrit in laude eius dies.

ptèr quæ nobis hic dies augustior & religionis ac san-
Asyndeton. ctimoniæ plenior esse debeat. Idē primus anni dies est, & dies Dominicus, id est, primus omnium dierum: natalis cœli, terræ, angelorum: natalis ipsius temporis: quo die populus Israeliticus maris rubri transitu à Pharaonis seruitute liberatus, nostræ à seruitute peccati
Anaphora. per baptismum liberationis typus fuit *: quo die primū manna è cœlo defluxit: quo die verum manna natus est Christus: quo die in vitā effractis mortis repagulis rediit: quo Spiritus sanctus cœlo demissus beatissimum il-
Gradatio. lum cœtum diuina luce * collustrauit, inflāmauit, cor-
Propositio. roborauit *. Agedum igitur precati prius eundem illū Spiritum, vt & mihi dicenti, & vobis audientibus adesse dignetur de mysterio Circūcisionis dominicæ, quæ
Attentio à breuitate & vtilitate. nobis ex Euangelio paulo ante recitata est *; pauca quidē, sed DEO dante animis profutura meditemur. * Tribus autē capitibus mea concludetur oratio. Primum enim dicam de institutione Circumcisionis. Se-
Partitio. cundo cur Christus voluerit circūcidi. Postremo quid
Prima pars. nobis attulerit Circūcisio Christi: & quem ex ea fructū capere debeamus *. Omnes ritus externi, quos populo Hebræo, quem præ ceteris diligebat, obseruandos Deus ipse præscripserat, eorum quæ adueniente Christo expleta sunt, figuram quandam ac præsignificationem continebant. Quoniam enim populus ille duræ ac rigidæ ceruicis erat, neq; facile capiebat nisi ea quæ corporeis oculis videret, quæq; contrectaret. Idcirco ei Deus
Quando instituta Circūcisio. proponebat crassa quædam & corporalia, vt eum facilius ad spiritualia intelligenda quasi manu duceret. Huius generis fuit & Circumcisio: quam Abrahamo, fœdus cum eo statuens, & in ipsius semine omnes gen-

tes benedictum iri pollicitus, in carne fieri imperauit Deus, vt illi iam tunc eminus ostenderet futuram, cum ille desideratus gentibus aduenisset, perfectum animorum ac mentium Circumcisionem. Cuius perfectionem vt symbolice exprimeret, octauum illi diem præstituit: quo numero in scripturis diuinis absolutio ac perfectio significari solet. Lapideum etiam cultrum ad eam adhiberi voluit: vt ostenderet, perfectam Circumcisionem fore in lapide, in illo, inquam, lapide angulari, qui summis ima connectit, qui facit vtraque vnum: in illa petra ad quam, beati sunt qui allidunt paruulos suos: ex qua fluit mel, quo saturatur populus Dei: ex qua perpetuo erumpunt aquæ salientes in vitam æternam. Carnis igitur circumcisio, vt præclare scribit Ambrosius, mysticum quoddam præceptum fuit castimoniæ & coercendarum ac refrænandarum cupiditatum. Ideoq; in ea corporis parte iussa est fieri, in qua præcipue libidinis impuritas efferuescere videtur. Sed non est inusitatum, ex parte totum intelligi: vt cum caput pro homine dicimus, vt cum ex oculorum aut genarum pulchritudine totius corporis pulchritudinem intelligi volumus. Sic igitur & Deus vnam modo corporis partem circumcidi iussit: cum tamen vellet, inania omnia & superuacanea & immoderata resecari. Et hoc est, quod Abrahamo imperauit, vt circumcideret non se modo & filium, sed & vernas, & eos quos pretio comparasset. Vernæ sunt sensus nostri: vernæ sunt facultates animi: vernæ sunt affectiones quædam omnibus nobis ingenitæ: domi enim nasci videntur. Hæc igitur omnia circumcidenda sunt. Circumcidit oculos suos, qui auertit eos ne videant

Ceremoniæ Circumcisionis quid denotent.

Quomodo sensus circumcidendi.

deant vanitatem. Circumcidit os ſuum, qui diligenter cauet ne in eo inueniatur dolus. Circumcidit aures ſuas, qui ſepit eas ſpinis, ne voces improborum audiant. Circumcidit ingenium ſuum qui ſapit ad ſobrietatem, refugitq́ ita ſcrutari maieſtatem, vt opprimatur à gloria. Circumcidit memoriam ſuam qui bona fide obliuiſcitur iniuriarum. Circumciderat pater Abrahã naturalem erga liberos caritatem, cum filium ſibi chariſſimum immolare mandante Deo, parabat. Circumcidit amorem vitæ, qui odit animam ſuam in hoc mundo, vt eã in futuro lucretur. Sed & pretio empta, id eſt, labore & ſtudio parta, opes, honores, potentiam, eruditionis ac doctrinæ copiam, talia omnia, qui non circumciderit, eius anima morietur. Dixi breuiter de inſtitutione circumciſionis. Sequitur, vt dicam, cur Chriſtus circumcidi voluerit: quem conſtat & ſupra legem fuiſſe, & circũciſione nihil eguiſſe. Aperi nobis Chriſte cauſſas eorum quæ cauſſa noſtra pertuliſti. Venerat Chriſtus non vt euerteret legem, ſed vt impleret, factus erat ſub lege, vt eos qui ſub lege erant liberaret. Sua igitur voluntate ſubditus legi, ea quæ legis erant implere omnia voluit.* Voluit etiã, vt qui omnia prouideret ac proſpiceret, iam tunc confutare errorem illorum, qui negaturi erant, corpus ipſius vere corpus fuiſſe. Certe enim circumcidi & ſanguinem fundere, niſi verum corpus non poterat. Cupidus igitur ſalutis noſtræ, puriſſimi illius ſanguinis, quem pro nobis in cruce futurus venerat, iam tunc tener puerulus guttas aliquot ſparſit. Sic cum è mortuis ſurrexiſſet, palpandum ſe ac contrectandum Thomæ dedit: ne cui vnquam locum vllũ relinqueret de corporis ſui veritate dubi-*

Quomodo opes, honores.

Tranſitio ad ſecundam orationis partem.

Apoſtrophe.

Conduplicatio.

dubitandi. Sed & nos exemplo suo obedientiam & submißionem animi docere voluit: vt cum eum, qui legibus omnibus superior erat, legi tamen paruisse videremus; tanto promptius ac libentius colla suauißimo ipsius iugo submitteremus. Sic ab Iohanne citra vllam neceßitatem in aqua baptizari voluit, vt nos in aqua & Spiritu sancto baptizaremur. Sic beatißimam Virginem matrem suam, purificari, quæ tamen nihil vnquam purius fuit. Sic agno paschali & Azymis cum Apostolis vesci, vt nos ipso, qui verus agnus, verus panis azymus est, vesceremur. Expleuit deniq; legitima omnia, vt nos explendorum illorum neceßitate soluti ac liberati, quæ vetustis patribus in figura obtigerant, eorum veritate frueremur. Quamuis igitur Petrus, quo facilius Iudæos ad Christi fidem alliceret circumcisionem tolerauit ad tempus: quamuis Paulus: qui omnia factus est omnibus, vt omnes Christo lucrifaceret, eadem de causa Timotheum circumcidiße legitur: quod lacte ali oportebat eos, qui solidi cibi nondum capaces erant, nos tamen hodie veritate patefacta ac definita, carnis quidē circumcisionem non tantū vt mortuā omittamus sed vt mortiferam refugiamus: ne impletam à Christo legem negare, & alibi quam in ipso spem salutis collocare videamur, sed pro illa vetere figura veram mentium & animorum circumcisionem amplectamur*: omnē inanitatem, omnem fastum, omnē libidinem, omnia deniq; vitia à nobis circumcidamus, resecemus amputemus. Vere* de carnis circūcisione ab Apostolo dictū est: circumcidamini, Christus vobis non prodest quidquā. Vere hoc quoq; de circūcisione cordis dici potest: nisi circumcidamur, Christum*

Quid nos docuerit Christ9 per suā circumcisionē.

Occurrit obiectioni.

Nunc circumcisio, vt mortifera fugienda.

Congeries cū Asyndeto

Probat autoritate.

Apostrophe cũ deprecatione Metaphora. *nobis nihil profuturum. Christe Iesu, qui hodierno die causa nostra circumcisus es, fac vt nos quoq; tua causa circumcidamur: euelle ex cordibus nostris omnes radices vitiorum, elide fibras omnes cupiditatũ: extingue omnia nequitiæ semina: perseca gladio verbi tui quicquid in nobis redundat: vre igne Spiritus sancti spinas illas, quæ in nobis perpetuo succrescentes tui seminis profectum impediunt: vt expediti pondere inutilium sarcinarũ, tua vestigia facilius & alacrius persequamur.* Peroratio per apostrophen ad Pontificem. *Tu vero, Beatissime Pater, quẽ merito alterum Abrahã vocare possumus, pater multarum gentium, pater Neophytorum, quos tam multos te Pontifice Christo renascentes videmus, pater Græcorum, qui reiectis erroribus gentis suæ in spem reliquorum conuertendorum tua liberalitate educantur, pater Germanorum, pater Britannorum, quib. miseris, pro fide Christi vexatis, patria pro carcere ac carnificina, Roma pro patria ac domicilio est, pater pupillorũ,* Repetitio. **pater viduarum, pater omniũ Christo hærere cupientium, qui nuper in ista viridi ac vegeta senectute, tot repente fusis purpureis floribus, ver media hyeme renouasti, & ad coronam quâ sacrosanctum caput tuum cingitur, tot longe lateq; lucentes gemmas addidisti: ingredere, vt facis, bonæ spei plenus feliciter in hunc annum; multiplicentur dies tui: reflorescat caro tua: renouetur, vt aquilæ iuuentus tua: vt cum vna nobiscum tu nouus Abraham, tot annos quot vetus ille vixit, exegeris, ab illo, qui hodie circumcisus est Abrahami secundum carnẽ filio, in regnum promissionis, filiis ab æterno præparatum eueharis. Amen, Amen Domine Iesu, qui cũ Patre & Spiritu sancto vnus Deus viuis & regnas per innumerabiles myriadas seculorum.*

ORATIO II.

De S. Ioanne Euangelista.

Habita in Sacello Pontificio IV. Kal. Ian. M. D. LXXXII.

Exorditur à caussis ob quas de sanctorum laudibus disseritur in eorum festiuitatibus.

TRIBVS de caußis ab Ecclesia diuinitus institutum arbitror, Beatißime Pater, vosq́ Patres amplißimi, vt quo die cuiusq́ Sanctorum memoria recolitur, eodem die de vita ac laudibus ipsius aliquid publice disseratur. Primum vt eis honos debitus non pro ipsorum dignitate, sed pro virium nostrarum tenuitate tribuatur: deinde omnes nos ad persequenda, pro suo quisq́ modulo, eorum vestigia incitemur: postremo, vt, cum eos & generis nostri amantißimos, & apud Deum cum quo regnant, gratiosißimos esse intelligamus, opem ipsorum ad conciliandam nobis Dei gratiam postulemus *.

1. caussa. 2. 3.

Beneuolentiam captat à persona sua.

Hodie igitur, cum mihi, licet immerenti, minimeq́ ad tantum munus sustinendum idoneo, mandatum sit, vt in hoc maiestatis & venerationis plenißimo loco, de illius, quem Christus eximie præter cæteros amauit, sancti Iohannis Apostoli & Euangelistæ laudibus breuiter disseram: tria illa, quæ dixi, quantum in me erit, præstare conabor, sperans fore, vt, non propter me (neq́ enim dignus sum, qui hic audiar) sed propter eum de quo dicturus sum, mea benigne ac placide excipiatur oratio.

Propositio cum partitione: Attentionem parat.

Per dubitationem inchoat laudes D. Ioãn.

Quid igitur primum in hoc sanctißimo planeq́ diuino viro laudabimus? quid primum proponemus, quod imitemur? Quid prius, quam, quod Christo se vocanti ne tantu-

Laudatur à prõpta voluntate,

*lum quidem reluctatu facilem se illi statim ac morigerum præbuit? Nulla ille adhuc cum admirabilia opera edentem videret: non regio cultu atq; apparatu nitentem, non ingenti satellitum turba stipatum videbat: neq; tamen ita respondit. Quis tu es, qui tam pro imperio, vt te relictis omnibus sequar, iubes? Quã mihi spem si id fecero, vitæ melioris ac nitidioris ostentas? Nihil tale, sed illo diuinæ vocis oraculo, tanquam penetrabili quodam iaculo, vsq; ad ipsam animæ medullam transfixus ac transuerberatus, desertis parentibus, abiecto omni instrumento, artis, qua vsq;, ad eum diem victitarat, nulla interposita mora, totus ad Christum & corpore & animo transiit. Nimirum vt ex siccata materia ignem facile comprehendit: sic animus ille ab omni improba cupiditate purus ac siccus ad eõiectam vnicam ignis diuini scintillam totus exarsit. Felix piscatio: Felix iactus: felicia retia: quibus piscator ipsemet captus, eum vicißim à quo captus est, cepit. At nos miseri, in medio Ecclesiæ gremio nati atq; educati, tot testimoniis, tot miraculis, tot Sacramẽtis confirmati, quam sæpe vocanti nos Christo resistimus? quam sæpe pulsanti cordis nostri fores aperire volumus quam sæpe nos sub alas suas congregare cupientem refugimus? * Iam vero cum se ad optimum magistrum optimus discipulus contulißet, ita se ad illius voluntem conformare, ita sermones illius auide haurire, ita ex nutu illius pendere cœpit, vt nunquam ab eius latere discederet, nihil sibi præter eum dulce, nihil amabile, nihil expetendum duceret: omnem spem, omnem suauitatem, vitam denique ipsam in eo videndo atq; audiendo positam crederet. Itaq; tanta sibi eum cari-*

Prosopopœia.

Simile.

Anaphonema cum Anaphora & traductione.

Ab amore quo in Christũ ferebatur.

caritate deuinxit, vt ab eo, quem amor erga homines hominem fecerat, ipse tamen eximie ac singulariter præ cæteris omnibus sectatoribus ac discipulis amaretur. Cuius præcipui amoris causam quamuis magni ac probati scriptores ad perpetuam & animi & corporis castimoniam referunt, ego tamen, vt hoc non nego, ita non dubito, etiam alia fuisse, quæ tantam illi apud Christum gratiam conciliauerint. Omni ex parte amore dignissimus fuerit oportet, quem optimus iudex amore dignissimum iudicauit. Et quando in diuinis literis ne propria quidem plerumq; singulorum nomina mysterio carent: vere hic, ac merito Iohannes vocatus est: quo in nomine Hebraicæ Linguæ periti diuinæ gratiæ significationem inesse aiunt. Neq; vero facile dixerim, vtrũ maius ac præstabilius, plus cæteris amare Christũ, an plus cæteris à Christo amari: quorum illud Petro, hoc Iohanni sacrarum literarum auctoritate tribuitur. Nouit hoc, qui nouit omnia. Nobis certum exploratumq; sit, & summe amari, qui summe amet: & summe amare qui summe ametur. Et tamen ille Coriphæus Apostolorũ & à Domino aliquoties acriter & seuere obiurgatus legitur: & illũ durissima illa ac pauoris plenissima nocte ter abnegauit: hic purissimus Domini amator neq; vnquam ab eo confitendo deterritus est, & eum vsq; ad ipsam crucẽ secutus esse perhibetur. Ter & amplius beata copula, quæ Deũ & hominem cum homine Dei simillimo, indissolubili amoris nodo colligauit! Propter hanc igitur nullis humanis verbis enarrabilẽ caritatem, testis perpetuus adhibitus est à Domino illis omnibus operibus, quib. ipse diuinitatẽ suã, quam ma-

A nomine.

Traductio.

Confertur cũ Apostolorum principe.

Exclamatio.

A familiaritate cũ Christo.

Adiunctio eorũ similiter desinente.

Exaggeratio.

Cur Theologus appellatur.

*xime patefacere quasiq; contestari volebat. Vidit eum non modo morbos fugantem, immundos spiritus eiciẽtem, cæcos videre, surdos audire, mutos loqui iubentẽ mortuos excitantem, ventis & fluctibus imperantem: quod alij quoq; viderunt: sed cum Dominus admirabilem illam diuinitatis suæ gloriam quibusdam ex Apostolorum numero, mortali adhuc corpore conclusis, aliqua ex parte spectandam exhibere statuisset, eiusq; rei caussa in montem Thabor conscendisset: ad hoc gloriosissimum spectaculum Iohannem cum alijs duobus adsumpsit. Ea quoq; nocte, qua futurum erat, vt in manus inimicorũ traderetur: cum, vt qui verus homo esset, cogitatione imminentium contumeliarum & appropinquantis sæuissimæ mortis angeretur: ob idq; Patrem oraturus, à multitudine secederet, eosdem sibi tres illos comites, quibuscum animi sui mœrorem familiarius communicaret, abduxit. Ad hæc, quanquã magnæ sunt, ei tamen cum alijs communia sunt: quæ subiungam huius propria ac peculiaria. Cuius enim amoris videtur, quod in illa mysteriorum plenißima cœna, quam Dominus cum suis, antequam morte sua mortem nostram deleret, exegit, qui in illo sacrosancto sinu recumberet, hic potißimum eiectus est? Tunc videlicet, illius beatißimi pectoris pressu, in quo pater omnes scientiæ ac sapientiæ thesauros condiderat, in morem eius aquilæ, sub cuius figura eum tanto ante Ezechiel viderat, non vsq; ad tertium modo cœlum, vt Paulus, * sed longè supra omnes cœlestes orbes euectus, & ipse cœlum quodammodo effectus, ea non tantum didicit, sed vidit ac spectauit, quæ cum postea exponeret, Theologi nomen proprie effecit suum. Inde illa fluxerunt, quæ cum immortali voce intonaret, cur à Do-*

à Domino tonituri filius vocatus esset, ostendit. Vidimus, vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à patre. Et rursus. Quod fuit ab initio, quod audiuim⁹ quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, testamur & annuntiamus vobis. Neq; non illud singulare, quod Dominus in cruce iam pendes, id quod carißimum habebat in terris, nitißimum illud domicilium Spiritus sancti, illam omnis maculæ expertem matrem suam Iohanni commendauit, eumq; illi filium esse iußit. Beatißima Virgo, quid tibi nunc animi fuit, cum alterum tibi enatum filium audires? Certe vnum pepereras, unigenam vt DEI, sic tuum. Sed veri amoris ea vis est, vt ex pluribus vnum efficiat. Ita vere dicere poteras, hoc quoq; filio accepto, vnicum tamen tibi filium esse. Tu vero beatißime Apostole quantam tunc amoris prærogatiuam consecutus es? quantum tibi à Domino supra cæteros cohæredes prælegatum est. Quantam consolationem sensisti acerbißimi doloris, quam ex Domini morte cupiebas, cum talem thesaurum apud te ab eo deponi, cum te ipsius voce in suum locum substitui videres? Iam minus miror, quod subuectus amoris aliјs ad sepulchrum ipsius ea celeritate properasti, vt etiam Petro præcurreris: quod cum in vitam, superata morte rediisset, stantem in littore primus agnoueris. Obuersabatur ille tibi perpetuo ante oculos: neque poterat vlla res interuenire tanta, quæ memoriam ipsius ex animo tuo obliteraret. Longus sim, si cætera sigillatim persequi velim: vt fertilia & opima Asiæ arua diuini verbi semine obseuerit: * vt mortiferum poculum innocens obduxerit: vt in- feruen-

Conduplicatio.

Apostrophe ad Virginē Mariā. Ad B. Iohannē.

Ab effectu amoris.

Præteritio.

A miraculis quæ circa ipsū euenerunt.

Quando &

Cur Evangeliũ scripsenit. ferventis olei dolium iniectus, illæso corpore exierit: tanquam nefas ducente flamma eos artus violare, quos nulla unquam libidinis flamma violasset: ut relegatus in Pathmon, divinũ illum libellum Apocalypseos conscripserit, quo quæ postea contigerunt, ita complexus est, ut non ea eventura vidisse, sed eorũ, cum iam evenissent, historiã contexuisse videatur *: ut rogatu fratrum ad retundendam Cerinthi, Ebionis, Marcionis rabiẽ, Evangelium, iam centum, ut sanctus Chrysostomus auctor est, natus annos litteris consignaverit: ut cum præ senectute, ad plura verba nõ sufficeret, cygneã illam cantionẽ, FILIOLI DILIGENTE INTER VOS, sæpe in Ecclesia irritaverit: cũ hoc præcepto omnia diceret contineri: ut deniq;, cum Ephesi, in summa tranquillitate usq; ad centesimum & vicesimum ætatis annum adventum Domini exspectasset, ita ut Dominus fore prædixerat, excessu placidi soporis simillimo ad eum evolarit. O te sanctißime Iohannes, & supra quam à nobis, aut dici, aut cogitari potest, beatum: qui virgineo nitore, Apostolica dignitate, Evangelistæ gloria, martyrij, citra violentam mortem laurea, prophetico spiritu, unus ex omni cœlicolarum numero insignis, quæ singula cæteros ornant, consecutus es universa. Tum tu igitur Beatißime suscipe caußã nostram: pone nos apud eum in gratia apud quem tu semper in maxima gratia fuisti: * cõmenda nos ei, quæ tibi commendata est: ut ei qui tibi illam commendavit, utriusq; precibus commendemur: * tu, cui venenum nocere non potuit, effice ne cuiquam nostrum hæreticorum venena noceant: tu, quem oleum fervens non læsit, impetra nobis, ne unquam pravarum cupiditatum

Marginal notes: A præclare dictis. — Peroratio per Apostrophem. — Dialytõ cum ad iunctione. — Deprecatio. — Traductio. — Enumeratio dictorũ.

tatum feruore lædamur: procurato Christianis principibus illam, quam tu tantopere commendabas pacem & animorum coniunctionem: inprimis autē GREGORIO XIII. Clementißimo Patri ac Domino nostro obtine à Christo placidißimam & tuæ simillimam senectutem: * vt, cum Ecclesiæ pacem fundauerit: cum oues, quæ aberrarunt, in CHRISTI ouile reduxerit, cum quod facere iam feliciter exorsus est, vt nomen IESV omnium gentium linguis celebretur, effecerit: * vigil, prudens, fidelis dispensator inuentus, super omnia bono constituatur, illius: qui cum Patre & Spiritu sancto vnus DEVS viuit & regnat vltra omnem æternitatem, AMEN.

Homieleutō.

Dissolutio.

ORATIO III.

Cum Senecæ librum de Prouidentia interpretaturus esset.

Habita Romæ III. Non. Iun. M. D. Lxxxv.

DE SENECA nihil hoc loco constitui dicere: nam si vituperatores illius confutare vellem: neceßario mihi ducenda essent præcipua argumenta è scriptis ipsius, vt ostenderem eum & doctrinæ copia, & scribendi elegantia longe multumq; omnibus obtrectatorib. suis præstitiße. Nunc cū apud eos disseram, quibus Senecæ scripta nota non sunt: (quotus enim quisq; vestrum ante hunc diem ea, non dicam, euoluit aut legit, sed inspexit aut attigit?) puto me commodius eße facturum, si primus hunc libellum

Exorditur à libri commendatione.

lum mole quidem, vt videtis, exiguum, & orationis ornamentis, & argumenti grauitate, vt sentietis, eximium vobis proposuero, ac deinde permisero, vt ex eo Senecam, tanquam ex vngue, vt dicitur, leonem æstimãtes: de ipsius sapientia & eloquentia arbitratu vestro iudicetis * *Urbane Vlysses apud Euripidem in Cyclope, cum Sileno vinũ vẽditurus esset, ita eum alloquitur:*

Facetè dictum.

Vin tu prius gustare quid vini feram?

Cui Silenus.

Ita conuenit nam gustus emptorem vocat.

Ego quoq; cum vobis hunc scriptorem non quidem vendere, sed certè commendare, atque vt apud vos in pretio sit efficere cupiã, debere videor eum vobis prius quasi gustandum dare. Hoc tantum à vobis peto, ne quid hæc præiudicatæ opinionis adferatis, neue permoueamini stultis ac temere iactis vocibus quorundam, qui quæ non intelligunt, vituperant. Tribuite hoc mihi, vt me non quidem valde intelligentem & idoneum, sed tamen non multo deteriorem, quam isti sunt, harum rerum iudicem existimetis. Qui cum & ex quo huic muneri præpositus sum, nihil antiquius habuerim, quam vt vos, quantum in me est, omni liberali doctrina excolam atq; augeam: & multorum annorum laboribus ac vigiliis hoc consecutus sim, vt non in vulgus modo, sed apud ipsos principes ciuitatis non omnino malus eloquentiæ existimator habear: non debeo videri aut tam iniquus vt obstare profectui vestro, aut tam stultus, vt existimationi meæ nocere de industria velim, sed hæc quidem hactenus. Iam enim quod huius libri argumentum sit explicare decreui. Vos, quæso, excitate atq; expergefacite animos

Beneuolentiam parat à persona sua.

Attentionem.

vestros

vestros: quæq; de rebus omnium maximis ac grauissimis dicere ingredior, ea penitus percipiatis operam date.

parat à grauitate materiæ.

Veteres illi, quorum animi densissimis errorum tenebris inuoluti, ea quæ nobis diuinitus affulsit æterna veritatis luce caruerunt, cum verum Deum ignorarent, in varias sententias distrahebantur, & , vt nullo firmo ac stabili fundamento subnixi, & commenta opinionum sequentes, huc illuc, tanquam incertis acti tempestatibus, fluctuabant. Interdum itaq; cum in cælum oculos sustulerant & illam admirabilem innumerabilium stellarum sine vlla erratione decurrentium varietatem notauerant, facile intelligebant præpotens aliquod numen esse oportere, immensum, infinitum, æternum, quod illi tantæ moli præsideret, à quo hæc rerum vniuersitas & à principio constituta esset, & eius consilio ac voluntate regeretur. Rursus autem cum eorum quæ infra lunæ orbem sunt, in constantiam ac mutabilitatem viderent: nihil in eis inesse certum, nihil perpetuum, nihil constans: eò prolabantur impietatis, vt partim ex omnibus rebus diuinam prouidentiam tollerent, partim supra quidem ac cælestia mente ac consilio regi, hæc autem inferiora sine vllo rectore incertis fortunæ casibus agitari existimarent. Sed cum & dierum ac noctium vicissitudinem, & quadripartitam anni temporum varietatem, & certa tum dierum tum noctium & incrementa & decessiones, & omnia humanis vsibus seruientia viderent, hærebant attoniti, vt qui perspicerent tantum & tam sapienter institutum ordinem nisi à Deo esse non posse. Conturbabantur tamen cum alijs argumentis, tum hoc præcipue,

Vnde tã variæ veterum de Deo aliisque opiniones.

Dialyton.

Repetitio.

Polisyndeton.

Argumentũ veterũ, quo

probabat Deum non habere procurationem rerum humanarum. Asyndeton cũ congerie.

pue, quod in rebus humanis multa viderent secus euenire, quam ipsi diuinæ sapientiæ ac bonitati conuenire existimarent. Etenim ita statuebant, Si humanarum rerum procurationem haberet Deus, fore vt bonis ac pijs ac iustitiæ cultoribus bene esset, malis impiis & iniustis male. Nunc autem contra videbant, optimos quosque plerumq; premi paupertate, cum multi improbi diuitiis abundarent: * Ignominiã, exilium, orbitatem, morbos, tormenta, cruciatus proprium quodammodo bonorum virorum patrimonium esse: cum interea multi omnibus flagitiis cooperti in summis delicijs viuerent, & in omnibus negotijs suis secundißima fortuna vterentur. Ergo alij fortunam accusabant vt iniquam & iniustam, quæ quasi dedita opera improbis mater, bonis nouerca esset: alij vt cæcam & temerariam, quæ nunc bonos, nunc malos nullo discrimine aut extolleret, aut deprimeret; idemq; dicebant de Pluto quem diutiarum Deum esse fingebant: & , vt fit in erroribus, desultoria quadam leuitate in contrarias sententias ferebãtur. Nam vbi quid bonis bene euenerat, aut vbi improbus aliquis & diu diuina patientia abusus pœnas dederat, tum Deum & eße, & humana curare clamabant *, Estis io superi, ait Statius, cũ conualuisset à periculoso morbo vix eximiæ probitatis Rutilius Gallicus: At contra vbi quid contigerat; contra quam æquum eße censerent, Deos aut nullos esse, aut crudeles & iniustos eße dicebant:

Declaras exẽplum.

Marmoreo Licinus tumulo iacet: at Cato paruo:
Pompeius nullo, credimus eße Deo?

Mortuus erat alicuius amicus, quem ipse diutius viuere cupiisset: Negabat Deos esse: id enim ab eorum iustitia

iustitia alieni videri. Itaq; in morte Tibulli. Ouidius:

Cum rapiant mala fata bonos, ignoscite fasso,
Sollicitor nullos esse putare Deos.

Apud Senecam Iason, cum Medeam occisis filiis euolantem videret:

Testare inquit, nullos esse, qua veheris, Deos.

Neq; vlla tam leuis, aut ridicula causa erat, quæ non ad suscipiendam impietatem satis idonea videretur.

Reliquerat amicam amator? Nulli dij erant. Propertius:

Et quæritur nullos esse relicta Deos.

Cupidum & libidinosum adolescentem impudica muliercula fefellerat: Nutabat male de Diis fundata opinio, Ouidius:

Esse Deos credamne? fidem iurata fefellit. fefellit
Et manet in solito qui fuit ore decor.

Valde scilicet id Diis curandum it. Apud Virgilium amissa immatura morte filio,

Atq; Deos atq; astra vocat crudelia mater.

Ecce tibi alter: quia serpentes vna cum pelle senium exuere dicuntur, Deos crudeles vocat, quod non idem beneficium formosis tribuerint.

Crudeles Diui serpens nouus exuit annos,
Forma non vllam fata dedere moram.

At illa quidem leuia, & à poëtis fortasse per iocum dicta, & si tales ioci nullo modo ferendi videntur. Serio quidem loqui videtur apud Aristophanẽ Chremylus, qui se cum pius ac iustus esset, & male tamen rem gereret, grauiq; paupertate premeretur, ac videret interea alios sacrilegos, calumniatores, improbos diuitiis abũ-

dare profectum esse dicit ad Apollinem, vt ex eo sciscitaretur, quæ eius rei caussa esset multoq; magis ille in vetere tragœdia. Τολμῶ κατειπεῖν μή ποτ᾽ οὐκ εἰσὶ θεοὶ κακοὶ γὰρ δ᾽ τυχοῦντες ἐκπλήττουσι με *& eodem argumento delusi, vt ait Iuuenalis:*

Sunt qui in fortunę iam casibus omnia ponant,
Et mundum nullo credant rectori,
Natura voluente vices & lucis & anni

Grauissime autem dubitationem ea de re suam expressit optimus aui sui poëta Claudianus:

Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem
Curarent superi terras, an nullus inesset
Rector, & incerto fluerent mortalia casu.
Nam cum dispositi quæsissem fœdera mundi.
Præscriptosque mari fines, annique meatus.
Et lucis noctisque vices, tunc omnia rebar
Consilio firmata Dei, qui lege moueri
Sidera, qui fruges diuerso tempore nasci,
Qui variam Phœben alieno iusserit igne
Compleri, solemque suo: porrexerit vndis
Littora, tellurem medio librauerit axe.
Sed cum res hominum tanta caligine volui
Aspicerem, lætosque diu florere nocentes,
Vexarique pios rursus labefacta cadebat
Relligio: causæque viam non sponte sequebar
Alterius, vacuo quæ currere semina motu
Affirmat: magnumq; nouas per inane figuras
Fortuna non arte regi, quæ numina sensu
Ambiguo vel nulla putat, vel nescia veri.
Abstulit hunc tandem Rufini pæna tumultum.
Absoluitque Deos.

Multo autem neruosius ac vehementius apud Ciceronem Cotta in tertio de natura deorum. Telamon, inquit, vno versu totum conficit, vtrum Dij homines negligant.

Nam si curent bene bonis sit, male malis: quod nunc abest.

Debebant illi quidem omnes bonos efficere, si quidem hominum generi consulebant. Sin id minus, bonis certe consulere debebant. Cur igitur duos Scipiones fortißimos & optimos viros in Hispania Pœnus oppreßit? cur Maximus extulit filium consularem? cur Marcellum Annibal interemit? cur Paulum Cannæ sustulerunt? cur Pœnorum crudelitati Reguli corpus est præbitum? cur Africanum domestici parietes non texerunt? sed hæc vetera, & alia permulta, propiora videamus Cur auunculus meus; vir innocentißimus in exilio est? Cur sodalis meus interfectus domi suæ Drusus? cur temperantiæ prudentiæq; specimen ante simulacrum Vestæ Pontifex Maximus, est Q. Scæuola trucidatus? Cur etiam ante tot ciuitatis Principes à Cinna interempti? Cur omnium perfidiosißimus C. Marius. Q. Catulum præstantißima dignitate virum mori potuit iubere? Dies deficiat, si velim numerare, quibus bonis male euenerit: nec minus si commemorem quibus improbis optime. Cur enim Marius tam feliciter septimum Consul domi suæ senex est mortuus? Cur omnium crudelißimus tamdiu Cinna regnauit? At dedit pœnas. Prohiberi melius fuit, impedirique ne tot summos interficeret, quam ipsum aliquando pœnas dare. Et paulo infra. Anaxarchum Democriteum à Cyprio tyranno excarnificatum legimus: Zenonem

Enumeratio bonorum quibus malo euenis.

Transitio. Enumerationem improborum quibus bene euenit.

nomen Eleatem in tormentis necatum. Quid dicã de Socrate? cuius morti illachrymari soleo Platonem legens. Videsne igitur, deorũ iudicio, si viderent res humanas discrimen esse sublatum? Diogenes quidem Cynicus dicere solebat, Harpalũ, qui temporibus illis prædo felix habebatur, contra Deos testimonium dicere, quod in illa fortuna tam diu viueret. Piget plura recitare, est enim ipse Ciceronis liber in manibus. Seneca igitur cùm & ab ea disciplina esset, quæ omnia maxima minima, diuino consilio gubernari statuit, & ei quem vnice diligebat Lucilio idem persuasisset: quia tamen scrupulus in Lucilii animo aliquis residebat ex eo, quod perspicere nõ poterat, cur Deus optimos quosq́ue tot acerbitatibus vexari sineret, eius rei causas ad eum misso hoc commentariolo tractandas explicandasq́ue suscepit. Unde constat veram illius inscriptionem non esse eam, quæ vulgo recepta est, quam ego tamen, ne omnia nouare dicerer, retinui, DE PROVIDENTIA: sed, QVARE NOBIS VIRIS MVLTA MALA ACCIDANT CVM SIT PROVIDENTIA. vt constat ex Lactantio in libro de ira DEI: cuius verba huc pertinentia in eis notis, quas, vestra caussa ad huius libri finẽ addidi, reperietis. Quod sit huius libri argumentum videtis: quod mihi quidẽ ita pulchrũ & cognitu dignum videtur vt iniuriam quodammodo vobis facturus videar, si tam male de vobis existimem, vt vos pluribus verbis ad eius tractationem & cognitionem excitandos putem. Mihi credite: qui me attente audient, perficiam cum Deo volente, vt & grauissimam ac pulcherrimam quæstionem tractatam diuinitus à Seneca, &

[Margin: Cur Seneca hunc librum scripserit.]

[Margin: Beneuolentia & attentio ab argumento libri.]

à me

à me ipsum Senecam non negligenter tractatum esse fateamur.

*Operæpretium facturus videor, si antequam ad expendenda Senecæ dicta veniam, exponam vobis, quid super ea ipsa quæstione, quæ hoc libello continetur, homines eruditissimi: iidemq́ue sanctissimi senserint. Nam si vt vasa eum odorem quo primum imbuta sunt, ita amici quas primas opiniones combiberunt, constantissime seruant: diligenter nobis videndum est, vt in grauibus & serijs rebus, statim à principio videamus, quid verissimum sit, idque animo conceptum ac comprehensum perpetuo retineamus. Ioannes igitur Chrysostomus qui singularem vitæ sanctitatem admirabili quadam & doctrinæ abundantia & dicendi facultate cumularat, cum dixisset, multis absurdum quodammodo videri, quod DEVS pios viros *, quosq́ue ipse apertissimis signis sibi carissimos esse declarat, plerumq́ue tamen omni genere acerbitatum agitari vexarique patiatur, vndecim caussas adfert, cur ita fieri expediat, quas singulas non modo exponere, sed etiam breuiter illustrare ac confirmare decreui. Prima igitur est, ne qui res magnas ac præclaras gerunt, propterea inflentur ac superbiant, sed summitant animos, memores imbecillitatis suæ. Confirmatur hoc testimonio Dauidis & Pauli, quorum ille bono sibi fuisse ait, quod à DEO depressus, castigatusq́ue sit, seq́ue ex eo magis illius iustitiam perspicere: hic autem cum vsq́ue ad tertium cœlum raptus esset, eaq́ue vidisset, quæ vix homini in hac vita videre fas est, ne propterea sibi placeret, neue insolesceret, additum sibi esse ait angelum Satanæ, à quo quasi colaphis cæderetur. Hæc igitur prima*

Authorum opiniones recenset.

D. Ioannis Chrys.

Causæ propter quas Deus probos affligi patitur.

1.

2. *causa est. Altera, ne ceteri moatales in errorẽ trahantur, & de præstantibus viris, non vt de hominibus, sed vt de Diis quibusdam, existiment: à cuius erroris periculo liberãtur, cum illos magnos & egregios viros multa perpeti vident, quæ illos non Deos sed homines esse declarant.* A minori ad maius. *Nam si qui multa bella gesserant, multas vrbes expugnauerant, multa hominũ millia occiderant, antiquitus in Deorum numerum stulta vulgi opinione referebantur: quid putatis euenturũ fuisse ijs *, qui verbo, qui nutu, qui contractu, qui vmbra sua fugabant morbos, claudis incessum, surdis auditum, cæcis vsum oculorum restituebant, mortuos in vitam reuocabant, nisi vulgus hominum eos ipsos, per quos tam multa admirabilia opera edebãtur *, esurire, sitire, algere, ægrotare, lædi, mutilari eiusdemq; generis alia innumerabilia quotidie subire ac perferre vidisset? Sic quoq; quamuis vociferantur nihil eorum sua virtute fieri, CHRISTVM esse qui per doctrinæ suæ præcones ea perficeret, vix tamen impedire poterant, ne sibi diuini honores haberentur *. Ad Paulũ quidem & ad Barnabam Lystrenses aliquando etiam tauros coronatos adduxerant, quos eis tamquam dijs immolare cupiebant, nisi id ipsi summa vi prohibuissent.*

Repetitio cum similiter desinenti.

Dissolutio.

Ab exẽplo.

8. *Tertia causa est, vt potestas DEI tanto magis elucescat, qui per homines imbecilles, morbis obnoxios, egentes, carceribus & ergastulis clausos, vinculis & compedibus impeditos, catenis onustos, ea faciat, quorum magnitudinem ceteri omnes obstupescant. Itaq; Paulus ipse cum fessus malis, quodam tempore petijsset à DEO, vt à se tantas illas & tam multas acerbitates amoueret, responsum hoc tulit: satis tibi sit, quod mihi carus acceptus-*

ceptusq; es. Quo enim tu inferior & es & pluribus difficultatibus conflictaris, eo magis perspicitur potestas mea. Quarta est, quod si bonis viris omnia prospere succederent, si diuitijs abundarent, si colerentur ac suspicerentur à cæteris, si nunquam ægrotarent, nunquam dolerent, nullum incommodum sentirent, fortaßis existimaret vulgus eos pietatem colere non suapte sponte, sed illa quasi mercede allectos & inuitatos. Nunc cùm eos non egestas, non ignominia non cruciatus corporis non tyrannorum sæuitia, non mortis metus à DEI cultu, & à vera pietate poßit abducere, manifesto constat, honestatem ac virtutem, & DEVM inprimis ipsum ab eis propter se, non propter vllam mercedem amari. Non gratis te colit Iob, dicebat DEO perpetuus ille humani generis hostis. Tu enim eum cumulasti opibus, auxisti liberis, perpetua deniq; vitæ prosperitate prosecutus es. At DEVS, Tu vero, inquit, domos eius in flamma, messes combure, pecora interfice, liberos eneca, totum ipsius corpus arbitratu tuo lacera ac lania: nullus restet nouis vlceribus locus: iaceat in sterquilinio, cui prius somnum capere licebat in purpura: ne sit quidem quo abstergeat sed testa manantem ex vlceribus saniem abradat: vt liquido constet, eum mei gratuitum non mercenarium esse cultorem. Eadem æquitate animi homo sanctißimus tulit aduersa, qua & prospera exceperat. Quinta, vt homines tanto certius atq; exploratius habeant, non omnia morte terminari, sed superesse aliam vitam, in qua & præmium tribuatur iustis, & ab improbis ac consceleratis pœna exigatur. Nam si ne homines quidem vsq; eo iniusti reperiuntur, vt eos quos

Margin notes: 4. (beside "Quarta est"); Congeries. (beside "Nunc cùm eos"); Prosopopœia. (beside "Non gratis te colit Iob"); 5. (beside "Quinta"); A minori ad maius. (beside "Nam si ne homines")

caussa sua multa perpessos vident, sine præmio abire patiantur, quanto minus id de DEO aut cogitare aut suspicari possumus? Cum igitur, multos plerumque videamus homines optimos & innocentissimos, quantum quidem hominis natura infert, hac vita nunquam interquiescere ac respirare à molestiis, sed perpetua quadam calamitatum serie usque ad extremum spiritum premi, cogitemus necesse est, aut, quod natura ipsa abhorret ac refugit, DEVM iniustum esse, aut post hanc vitam sua esse hominum generi præmia, pro suis cuique actionibus, diuinitus constituta. Si spes nostra, ait PAVLVS, iisdem quibus hæc vita terminis ac finibus circumscripta teneretur, nihil nobis infelicius foret.
6. *Sexta, vt nos quoque si quando tale aliquid nobis eueniat, patienter feramus, neque despondeamus animum, aut statim propterea DEO inuisos esse nos arbitremur: cum iis quoque qui DEO charissimi & acceptissimi erant, aut eadem, aut grauiora contigisse videamus.*
7. *Septima, ne vllus tergiuersationi locus sit, si quis nos ad illorum præstantium virorum imitationem cohortetur, quasi eos non eiusdem cuius & nos sumus, sed diuinioris cuiusdam naturæ fuisse causemur.*
8. *Octaua, vt sciamus quibus rebus felicitatem metiri ac dirigere, quosque ex omni hominum numero felices ac beatos, quos contra infelices ac miseros ducere debeamus.*
Contra positæ. *Non enim qui multa possidet, beatus est: sed multo ille beatior, qui non tantum diuitias non concupiscit sed iis quas habet, vltro se spoliat, vt copiis suis aliorum inopiam subleuet. Non, qui innocens exulat, miser est: sed tanto felicior, si id æquo animo ferens, operam det, ne ab illa æterna ac cœlesti patria exulare*

cogatur. Non qui firmo ac valenti corpore est felix: sed ille, qui in corpore quamlibet infirmo, perpetuã animi retinet firmitatem. Non cui multa dura, & perpessu aspera eueniunt, miser *: sed is potius, qui prosperis successibus ebrius, neq; altius oculos mẽtis attollens, Metaphora.
in caducis ac fallacibus huius vitæ bonis acquiescit.
Nona, ut magis illustretur eorũ patiẽtia ac fortitudo, 9.
qui se à calamitatibus vinci non sinunt: neq; enim à nobis cognoscerentur, nisi a DEO in huiusmodi certaminibus exercerentur. Aurum, ut dicturus est Seneca, probat ignis, miseria fortes viros. Simile
Decima, quoniam humanæ naturæ imbecillitas ne optimos quidem viros omnis peccati expertes esse patitur: neq; quisquam aut est, aut fuit præter paucissimos, quibus id singulari DEO beneficio tributum est, quin aliquando offenderet ac prolaberetur: ut hic potius quam alibi peccata expientur, ut si qua macula ex illis prolapsionibus suscepta est, tẽporariis illis acerbitatibus, quasi nitro quodam aut lomento eluatur ac deleatur. Nam cum iustitiæ diuinæ consentaneum sit, neminem in cœlum peruenire, qui nulla ex parte pollutus contaminatusq; sit; expedit iys ipsis qui DEO cari sunt, ita in hac vita purgari, ut cũ è corporis vinculis excesserint, nulla alia purgatione egentes, sine ulla mora in cœlum euolare expediti ac liberi possint. 10.
Vndecima, ut quo plura acerba patiuntur, quo plures difficultates superant, quo dimicãt acrius *, eo maioribus præmiis ornẽtur, eo plures coronas accipiant, eo maiorem in omni æternitate gloriam consequantur. Hæc igitur vir ille sanctissimus, non, ut ego nunc, arido & inculto dicendi genere, sed ornato, splendido, efficaci: aureo deni- 11. Anaphora. Allusio ad nomen.

que illo eloquentiæ flumine, quod ei Chrysostomi nomen meritissimi comparauit. Ac vereor ne quis interdum me, quod è talium scriptorum fontibus hauriam, quo disputationes meas irrigem, reprehendendum putet. Vnde igitur per Deum immortalem potius repetam, quod honestius aut maiori cum fructu vel à me dicatur, vel à vobis audiatur? An totos dies nunc in poëticis fabulis, nunc in Stoicorum aut Epicureorum stultissimis opinionibus perscrutandis ac peruestigandis conteremus, idq; cum faciemus, tempus bene collocare putabimur: ad ea cognoscenda quæ ignorare sine pernicie non possumus nullam partem temporis conferemus? At hæc, inquiet aliquis, in Theologorũ scholis aut concionibus tradi solent: à te alia quadam requiruntur. Fateor equidem ac eis hæc omnia non tempestiuius modo ac conuenientius, sed etiam melius copiosiusq; tractari. Sed tamen vtinam talibus præceptis * & templa, & scholæ, & porticus, & ambulationes, & fora, & compita omnia personarent. Mandatum est mihi, vt vobis iter ad eloquentiam commonstrare conarer. Nunquid igitur vos eloquentiores effecturus sum, si hoc, quantulumcunq; est, quod in dicendi facultate consecutum esse me nonnulli putant, in nugis & fabulis exercuero, quam si vos ad graues & serias res bonis & lectis verbis explicandas, quantum vires meæ ferent, exemplo meo & incitare & assuefacere studuero? Mihi vero certum ac constitutum est, ea vobis perpetuo tradere, quibus vos non disertiores modo & in loquendo argutiores, sed etiam meliores ac sapientiores redditum iri arbitrabor. Eloquentiam esse ait Cicero, non inanem loquendi profluentiam, sed sapientiam

[Marginal notes: Ante occupatio. — Exclamatio. — Occurrit obiectioni. — Polisyndeton. — Conclusio exponit propositũ suum.]

tiam copiose loquentẽ: Quod si est, qui nihil præter verborum flosculos, & pigmenta tradunt, minimã partem eloquentiæ tradũt. Si quis est qui & res cognitu dignas adferat, & eas non vulgari neq; sordido orationis genere efferat, is demũ bonus & vtilis dicendi magister habendus est. Vera autẽ sapientia aut illo ex quo hodierna mea disputatio deprompta est, aut nullo prorsus genere scriptorũ continetur. Sed longior fui quã putabã. Quæ igitur de re Chrysostomi disputationẽ audiistis, de eadem perendie, si Deus volet, disputationem Senecam audietis. Cõclusio.

ORATIO IV.

Cum explicare inciperet libros Platonis de optimo Reipublicæ statu.

Habita Romæ pridie Non. Nouemb. M. D. LXXXIII.

SVSCEPI hoc anno duos vtriusq; linguæ clarissimos & eloquentissimos scriptores interpretandos, Platonis quidem libros de iustitia, siue de optimo Republicæ statu: Ciceronis autem libros de finibus bonorum, & malorum: sperant fore, vt DEVS quidem huic conatui meo arduo, & difficili, sed honesto atq; vtili faueat: vos autem, qui, quanta hic vestra vtilitas agatur, videtis, dignum ijs auctoribus qui vobis proponuntur, & rebus, quæ ab eis tractantur, studium ad me audiendum adferatis. At mihi quidẽ nihil in eo temere fecisse videor, quod horum librum explicationem coniungendam iudicarim. Agitur enim in vtriusq; de summo bono: in illis Exordium sumit ab instituto suo & libri suscepti vtilitate. Beneuolentia & attẽtio à persona

qui-

sua & auditorum. *quidem de summo bono Ciuitatis: in his autem de summo bono singulorum. Esse autem idem reipsa, & totius Ciuitatis & vniuscuiusq; ciuis bonum & Plato*

1 Aduersariorū obiectio. *& Aristoteles sæpe docuerunt. Sed scio fore nonnullos, qui meum consilium vituperent, quod me in latinis tantum scriptoribus versari, à Græcis prorsus abstinere cuperent. Erunt etiam qui ab homine tradendis*

2. Obiectio. *eloquentiæ præceptis perfecto ac præposito orationem potius Ciceronis aliquam, aut aliquem eorum librorum qui ab eo de arte Rhetorica scripti sunt, explicari*

Propositio. *debuisse contendant. Quibus vtrisq; breuiter satisfaciam, vt & omnem eis, quantum in me quidem erit, errorem eripiam: & tamen caueam ne hæc ipsa vt apud nonnullos superuacanea, sic apud plerosq; necessaria purgatio nimium temporis nobis eripiat. Pri-*

Aduersus linguæ Græcæ osores. *mum igitur istis Græcæ linguæ osoribus ita responsum volo, omnem elegantem doctrinam, omnem cognitionem dignam hominis ingenui studio, vno verbo, quicquid vsquam est pelitiorum disciplinarum, nullis alijs quam Græcorum libris ac literis contineri. Itaq; quod olim M. Catonem illum Censorium vaticinatum ferunt, cum adhuc Græcis litteris infensus esset, quas tamen postea cognito errore, senex auidißime didicit, Græcos, simulatq; litteras suas in vrbem misissent, omnia perdituros: multo nos hodie & verius & certius atq; exploratius prædicere possumus, si homines nostri paulo magis Græcas litteras negligere cœperint, omnibus bonis artibus certißimam pestem ac perniciem imminere. Hoc si isti aut videre per inscitiam et ignorationem harum rerum non queunt, aut cognoscere propter obstinatum quoddam & inueteratum in*

Græcos

Græcos odium nolunt: persistant sane & obdurent in sententia sua: nobis ignoscant, si quo in studio plurimũ operæ posuimus, ab eo non facile abducimur: sed & eius dignitatem conseruare nitimur: & quas ex eo vtilitates percepisse nobis videmur, eas cum alijs communicare conamur. Sed aduersus hos & diximus alias plura, &, quoties dabitur occasio, dicturi sumus. Hoc autem tempore nobis æquiores esse debent: quod ita nostram docendi rationem temperabimus, vt etiam ijs qui Græcè nesciunt, multum tamen nos ad illã ipsam, quæ in manibus est, qualiscunq; est, Marsilij interpretationem commodius intelligendam auxilij allaturos esse speremus. Qui autem aliena esse hæc eius persona, quam hoc tempore sustinemus, putant, primum hoc, velim in memoriam reuocent, quibus tẽporibus ars Rhetorica doceri cœpta est, eosdem habitos esse, & politicos & dicendi magistros. In quo, vt qui tum se eos pro talibus venditabant, nimium sibi sumpsisse, artiq; suæ pro soccis, vt ita dicam, cothurnos induisse fateamur: ex eo tamen ipso intelligi licet, magnam aliquam inter eas facultates affinitatem ac similitudinem esse. Neq; enim res plane disiunctæ ac dissimiles iungi ac permutari inter se solent: neq; quisquam est aut ita duro ore, aut ita hebetibus oculis, vt earum vnã pro altera aut alijs tentet obtrudere, aut sibi ipse patiatur obtrudi. Deinde Aristoteles, qui, quæ quasi sylua ac materies oratori proposita sit, vnus omnium & vidit optime, & diligentissime persecutus est, Rhetoricã ex quadã dialectices, & politices permistione quasiq; consitione docet existere, vt: non dicam tueri munus suum, sed ne esse quidem ac constare possit, nisi decerptas ac delibatas

Transitio.

Respõdet secũdæ obiectioni.

ex

ex earum vtraq; particulas corrogarit. Vt igitur veteres illi arroganter, qui cum pectendæ modo & intorquendæ & tamquam calamistris, inurendæ orationis vias traderent, politicos se haberi volebant: ita nos modeste, qui quod nobis deest, quoq; carere nō possumus, à Philosophis mutamur. Quid? Non Hermagoras, cuius auctoritatem secuti plurimi sunt, ciuiles quæstiones oratoris esse materiam tradidit? A quo qui dissenserunt, non eo errasse illum dixerunt, quod oratori nimium tribuisset, sed quod parum. Nonne Aristoteles, ipse diligenter cognoscendas esse Oratori rerum publicarum formas præcipit? Quid vero apud Ciceronem frequentius, quā sine Philosophia non posse effici eloquentem, omnemq; vbertatem dicendi ac copiam à Philosophorum scriptis esse Oratori petendam? qui etiam se non ex rhetorū vmbraculis, sed ex Academiæ spatijs Oratorem extitiße profitetur. An vnquā Pericles fulgurare, tonare, permiscere Græciam dictus esset nisi Anaxagoram audijsset? Demosthenem autem, quo nemo vnquam in dicendo neruosior aut efficacior fuit, vnde hausisse illam vim, qua superat omnes, nisi ex Platonis schola & sermonibus creditis? Sed est quoddam genus hominum, qui cum se Ciceronis studiosißimos haberi velint, vni ex omnibus Ciceronis auctoritatem ac iudicium maxime contemnere videntur. Nam cum Cicero toties inculcet, ei qui ad eloquentiæ gloriam aspiret, peruolutandum esse omne scriptorum genus, vt multiplici rerum cognitione quasi lætificata efflorescat, ac redundet oratio: hi perinde ac si hoc aut non legerint, aut satis putent esse quod legerint, ad vnius Ciceronis scripta tanquam ad Sirenios scopulos,

Confirmat authoritatibus.

Confirmat exemplis. Metaphora cum dissolutione. In eos qui tantum Ciceronis scriptis se dedunt.

adhæ-

*adhærescunt, ea vna manibus terunt, eorum non vocu-
las modo, sed syllabas prope omnes minuta quadam &
anxia curiositate ad calculos vocant, ab eis commoue-
re oculos nefas putant, præter vnum deniq; Cicero-
nem, aut tres, si forte, aut quatuor illorum temporum
æquales, aut certe illi ætati suppares, aliorum omnium
scriptorum contactum ipsum refugiunt, ne inquinen-
tur. Itaq; vt Ixion in Poëtarum fabulis nubem ample-* Ironia.
*xatus dicitur, cum sibi Iunonem amplexari videretur:
ita isti pro vera & solida & succi ac sanguinis plena elo
quentia, ariditatem quandam ac sterilitatem oratio-
nis, & ieiunam & fame ac macie enectam & nullius
rei nisi odij plenam in verbis ad Lydium illum Nizolij
lapidem examinandis morositatem amplexantur. Ri-* Diasirmo.
*dicula capita. Cuius se admiratores præcipuos videri
volunt, eius monita ac præcepta ad se pertinere non cē-
sent. Nos vero demus operam vt simus quod isti non
sunt, vere ac serio Ciceroniani, & illi saluberrimo Ci-
ceronis præcepto obtēperantes excutiamus, ac perscru-
temur omnes forulos bibliothecarum veterum; impri-
múq; amemus atq; admiremur Platonem: quo ille lau-* Redit ad
dando ac commendando expleri non potest: quem nec laudes
nimis valde nec nimis sæpe laudari posse ait, quem om- Platonis.
*nium, quicunq; vnquam scripserunt, locutiue sunt,
principem, quem cum Panætio Philosophorum Home-
rum, quem auctorem diuinũ, quem quasi Deum quen-
dam Philosophorum vocat, cuius sapientiam & elo-
quentiam sic admirata est antiquitas, vt Iouem ipsum
dicerent, si Græce loqueretur, sic loqui. Atq; equidem* Præte-
constitueram hodie de Platone aliquid dicere: sed me ritio.
*copia ipsa deterruit: vix enim potest quisquam vllam
paulo*

paulo digniorem lectu scriptorem, eorũ quidem qui post Platonem vixerunt, in manus sumere, vt non aliquid quod de Platone ample ac magnifice dicatur, incurrat.

Tria de libro Platonis dicenda proponit.

Quare de ipso quidem in præsentia silentium erit: sed quando librum primũ de Repub. explicare ingredior, attingam prius & exponã breuiter nonnulla quæ Platonis interpretes quasiq; hypophetæ in vniuscuiusq; libri Platonici principio tractare cõsueuerunt.

1. Primum igitur dicam quid in his libris propositum sit Platoni:

2. quod Græci σκόπον, aut πρόθεσιν vocant.

3. Deinde quo in genere eos scripserit: quod illi εἶδος, aut χαρακτῆρα dicunt. Postremo eorũ hylen siue materiã explicabo.

Dialyton. Primũ exponit.

Materiam autem voco, ne quis sit error, non id quo de agitur, ea enim est quam dixi πρόθεσιν: sed certam quandam totius disputationis, vt Rhetores loquuntur, περίστασιν, quæ loco, tẽpore, personis, continetur. Quid igitur Platoni præcipue propositũ sit in his dialogis, non eadem omnium sententia est. Sunt enim qui de iustitia hic, nõ de republica, præcipue disputari contẽdant, quæ vis eius, quæq; natura sit, & vt ex eius cultu omnia bona & priuatim & publice ad homines perueniant, contraq; mala omnia ab iniustitiæ fonte manent.

Recenset varias opiniones.

Huius opinionis suæ tria potissimum argumenta afferunt. Vnum quod principium totius disputationis, quæ cum Cephalo, posteaq; cum Polemarcho & Trasymacho instituitur, manifesto à iustitia ducitur: neq; quidquam ab eis aliud quæri videtur.

Argumenta. 1. Opinionis.

1. Alterum, quod, quicquid in his libris de Republica dicitur, accessio quædã est, & appendix disputationis de iustitia.

2. Cum enim ex dubitationibus Glauconis & Adimanti expressior quædam & euidentior iustitiæ tractatio requiretur, eaque

que videretur semper aliquid obscuritatis habitura, quamdiù in vno homine insisteretur, quod maiorem & latiorem campum haberet oratio, transit Socrates ad explicandam formam totius Ciuitatis, vt cùm docuisset toti Ciuitati & necessariam & salutarem esse iustitiam, etiam in singulis eandem illius esse vim, facilius & apertius cerneretur. Qua in transitione comparationem adhibuit elegantißimam quæ his verbis explicata est libro secundo. Si quis inquit nobis proposuisset aliquid longo interuallo legendum, quod minutis litteris scriptum foret, neque nos valdè acutis & perspicacibus essemus oculis. posteaq; alicui nostrum veniret in mentem, idem alibi extare in grandiori tabula grandioribus literis scriptũ, nemo esset quin lucro quodammodo apponeret, illam prius grandiorem tabulam inspicere, vt postea quæ in minore scripta essent, iisdem vestigiis facilius persequi posset. Addit deinde, eandẽ esse, & idẽ efficere iustitiam in tota Ciuitate & in vno homine, sed vim illius, in Ciuitate, quæ maior ampliorq; sit, & facilius & clarius perspici posse. Quod si disputatio de Republ. ad illustrandam iustitiæ naturam quæsita est, cõstat hanc quidem esse principium & προηγουμένην, illã de Republ adscitam, & ἐμπίπτουσαν καὶ παρεμβεβλημένην Postremo id Socratis ipsius verbis apertißimè colligi, qui quoties, vt fit, in disputando, à iustitia euagatus est, ad eam rediens, ait se redire ad id quod quæritur, & de quo instituta est disputatio: & ad ipsũ libri decimi finẽ ita totum sermonem concludit, vt dicat colendam esse iustitiam; vt & nobismetipsis & Diis immortalibus amici simus. Hæc igitur argumenta sunt eorum, qui de iustitia, non de republ. præcipuam quæ- Huius opinionis auctores enumerat.

 stionem

stionem in his dialogis esse aiunt. Qua in sentẽtia Marsilius fuit, qui quidem in huius libri argumẽto ita scripserit. Atq; vt sæpe in his libris, sed præcipue in secundo declarat, totam disputationem de iustitia à nobis inscribi mauult, quam de republica. Idem sentit & Chalcidius principio commentarij quem scripsit in Timæum. Sed & multorum ex veteribus eadem fuit opinio. Alij tamen, quorum non minor est auctoritas, præcipuam esse censent quæstionem de republica: idq; his argumentis cõfirmant. Primum quod inscriptio est de rep. quod argumentum vt plus habeat ponderis, ostendunt inscriptionem illam esse antiquißimam maximeq; γνησίαν. Intelligendum est enim non omnes inscriptiones librorum Platonis aut antiquas aut indubitatas esse. Nam & Platoni quædam tribuuntur, quæ Platonis non sunt, vt Axiochus siue de morte, qui Xenophanis Platonici est, quod & Marsilius sciuit, vt Alcibiades secundus, quem & Athenæus ait putari Xenophontis, & stylus ipse id ostendere videtur. Et Halycon siue de mutatione formæ olim legebatur inter opera Platonis, hodie inter dialogos Luciani: cum eorum neutrius sit, sed Leontis Academici: & ij dialogi qui sine vlla dubitatione Platonis sunt, aliter ab alijs nominãtur. Vt Parmenides ab aliis περὶ ἰδεῶν, ab aliis περὶ γυμνασίας ab aliis περὶ τοῦ ὄντος, vt testatur Proculus, vt Philebus ab alijs de voluptate ab alijs de sũmo bono. Et qui hodie titulũ habet ἐραστῶν, id est, amatorum, ab omnibus antiquis ἀντεραστῶν, id est, riualium nomine citari solet, estq; ea verior inscriptio Qui ergo ab inscriptione argumentãtur, aiunt verißimam & antiquissimam horum librorum inscriptionem esse, πολιτεία, id est, de Republ. non de

Secunda opinio. Primum eius opinionis argumẽtum.

de iustitia. Nam & Aristoteles cum eorum epitomen quãdã cõfecisset, ait ὗτως ἐπιτετμῆσθαι τὴν Πλάτωνος πολιτείαν. & in Cõuiuio, & in Politicis, quoties horũ librorũ mẽtio est, ita eos nominat. Theophrastus quoq; in libris de legibus eadẽ appellatione vtitur. Sed & Plutarchus in quæstionibus Platonicis: & Athenæus, & Origenes, & ex latinis Cicero, Macrobius, Lactantius, Chalcidius, omnes denique antiqui libros de repub. non de iustitia vocant. Iam vero Platonicarum inscriptionum tria genera sunt ἐκ προσώπων vt Parmenides, Protagoras, Gorgias, Hippias, περιστατικαὶ, vt Conuiuiũ πραγματικαὶ vt νόμων πολιτικὸς σοφιστής. Hæc postremæ semper continent τὸ προηγουμένως ζητούμενον. Hæc autem & vera est, & πραγματική.

Reliqua desiderantur.

ORATIO V.

Cum in Platone explicando progrederetur.

Habita Romæ IV. Kalend. Martij M.D.LXXIV.

MVlta sapienter ab Euripide dicta sunt: quæq; præclara sustineant famã illius Oraculi, quo traditũ est, eũ in trib. qui illa ætate sapientissimi essent, ipsius Dei voce nũ eratũ: recteq; iudicauit. Q. Cicero cum dixit, se singulos eius versus singula testimonia putare. Apud eum autem quodam loco mirari se dicit Hecuba, quod non, a ijs omnibus studijs omissis, omnes homines ad studium eloquentiæ incumbant: eam enim vnam in

Exorditur à preclarè dictis Euripidis.

Euripidis de eloquentiæ preclarè dicta.

*rebus humanis quasi regnum quoddam obtinere. Est & alibi apud eundem Poetam, orationem ad res efficiendas non minus valere quam ferrum. Quæ non splendidius aut magnificentius dici, quam verius, & docet vetus historia & communis vita declarat. Quid enim notius est quam in omni ætate exitisse semper aliquos, qui quasi quodam gubernaculo; ita linguâ huc illuc mentes audientium flecterent, * quietas concitarent, commotas ac concitatas tranquillarent ac mitigarent, perspicuè veris fidem detraheret, Incredibilibus probabilitatem conciliarent, veteres opiniones euellerent, nouas insererent, quid denique & quatenus ab alijs credi vellent, ipsi definirent quasique terminos pangerent? Neque vero huius tantæ ac tam admirabilis potestatis suæ ipsa sibi parum conscia eloquentiæ est: neque vnquam eam obscurè ac dißimulanter tulit, quæ, vt è vetere comœdia cognoscimus, ab ipso propè ortus sui principio ausa sit profiteri, se vias tenere ac tradere, quibus caussa inferior, dicendo superior fieri posset. Neque vanam aut inanem illam gloriationem fuisse, grauißimis persæpè maximeque insignibus exemplis in omni Ciuitate patefactum est. Cum igitur homines natura potentiæ cupidi sint, & tantum ad eam in eloquentia momenti sit, omnia omnes eius consequendæ causa facere, vt ait Euripides; consentaneum esset. At mihi tamen contra nonnunquam accuratius hæc in animo reputanti, mirum videri solet, non iampridem omnes dicendi magistros, vna cum illo suo præclaro artificio ex omnib. locis communi aliquo gentium ac populorum scito eiectos, expulsos, exterminatos fuisse, Neque enim aduersus illos aut accusatore vllo, aut*

[Margin notes: Eloquentia ferro cōparatur. — Eloquentię vires. — Similiter desinens. — Cur tot seeloquētiæ dent. — Aduersus Euripidis de eloquentia sententiam. — Inuehitur in eos]

lo, aut teste opus est. Ipsi se indicant, ipsi se deferunt: ipsi quod occultandum potius videretur: id sine metu ac pudore præ se ferunt, id ostentat, eo se venditant, eo gloriantur Nihil tam certum tamq; exploratum esse, quod non in dubiũ vocari, nihil tam absurdum, tamque peruersum quod non eloquentiæ viribus obtineri ac persuaderi queat: Voces sunt hominum istam facultatem non calumniari & in odium vocare, sed ornare & hominibus commendare cupientium. Hoc autem quid aliud est, quam noctem ac caliginem rebus inducere & quasi Cicero quodam poculo ad eum dementiam homines adigere vt certi ac firmi in quo insistant nihil habeant, sed modo huc, modo illuc incertis opinionum fluctibus agitati vagentur? Si pharmacopola aliquis oppida circumiens eiusmodi venenum venale circumferret, quod potu quidem iucundißimum esset, sed potum adimeret hominibus omne iudicium veri & falsi: omnes, vt opinor ei aduenienti portas clauderẽt, omnes eum à finibus suis abigerent: interdicerent etiam, ne quis ab eo eius veneni miscendi ac temperandi rationem didicisse vellet. At non dißimilem in eloquentia inesse vim ipsi illius professores prædicaut: An si quis alienas fruges excantauerit, aut malis carminibus mentem alicui eripuerit, afficietur supplicio: idq; aut docuisse: aut didicisse capitale erit: qui mellitis verbis & ad fallendum compositis multitudinem infatuauerit, eiq; grauißimis in rebus illusuerit, aliosque eandem fallendi ac circũscribendi artem docuerit, is non modo ante oculos omnium impunè volitabit, sed vltro ob eam ipsam caussam amplisſima sibi decerni præmia postulabit? An qui iudicẽ pecunia corruperit: exulabit: qui eloquentia, laudabitur:

qui eloquentia abutũtur

Probat à simili eos ex omnibus locis exterminandos.

Scelerati us est iudicem eloquen-

tia quæ pecunia corrumpere probat autoritate

tur? At hoc eo etiam tetrius sceleratius est, quod pecunia corrumpi nisi improbus & impurus iudex non potest: eloquentia etiam optimorum virorum iudicia interdum deprauantur. Itaq; vt Pittacus grauiorem pœnam constituerat, si quis alienam vxorem blanditijs ad faciendum adulterium pellexisset, quam si ei vim attulisset, quod vi adhibita corpus tantum, blanditijs etiam animus corrumperetur: Ita qui fictis verbis seueritatem iudicium inflectunt, grauius puniendi essent, quam qui eos largitione corrumpunt. Lacedæmonij quidem, quorum ciuitas optimis institutis temperata putabatur, nullum apud se huic præstigiatrici locum esse voluerunt, sed simplex quoddam & apertum, & paucissimis contentum verbis adamarunt dicendi genus. Athenienses autem, apud quos ista & nata & alta atque educata, & suo quasi mundo muliebri instructa & exornata. Pandora est, quid non ab ea malorum & calamitatum pertulerunt? Grata enim & accepti beneficij memor alumna non aliunde sibi potius quam à lare, aut, vt ipsi loquuntur, à Vesta, incipiendum putauit: & altricibus suis Athenis egregia sanè nutricia persoluit. Nam quibuscunque tempestatibus ac procellis Atheniensium vexata Respub. est, earum longè maximam partem oratoribus suis acceptã ferre meritissimo potest. Quorum etiam vnus, vt Enceladus, cui mons AEtna impositus est, quoties se commorit, totam Siciliam concutere dicitur: ita ipse cum se dicendo incitauerat, vniuersam permiscere ac perturbare Græciam dicebatur. Et ea ipsa tamen in Ciuitate ab Areopago eloquentia exulabat. Quod enim templum Iustitiæ dicauerant, in id patere aditum iu-

Ab exemplo.

Mala & incómoda quæ ob eam Atheniẽses passi sunt.

Cur Enceladus orator mõs, Aetna dictus

diciorum corruptrici eloquentiæ noluerunt. Nam quod à multis persæpè dictum est, non eloquentiæ istam culpam esse, sed hominum, ea secus, quam oportet vtentium: ipsius quidem hunc esse finem, vt innocentiæ, non flagitio, vt æquitati, non iniustitiæ, vt veritati, non vt mendacio patrocinetur: videamus ne rebus ipsis hæc oratio refellatur. Veritatis per se magna vis est: ita vt suis opibus pollens suis copijs freta, suis præsidijs firma, aut nihil, aut non admodum externa auxilia requirere videatur. Itaq; idem ille quem principio nominaui, Euripides veritatis simplicem esse ait orationem: neq; vllis medicamentis ac lenocinijs indigere. Neque quisquam vnquam se orator magnoperè iactauerit, quod veram & iustam caussam obtinuerit: ne dignantur quidem ad eas, quæ huiusmodi sunt, accedere: si quem depositum ac desperatum & manifestis criminibus oppressum, & tacito omnium præiudicio morti destinatum reum recipere potuerint, in eo sibi placent, se circumspiciunt, se iactant, cœlum digito sibi videntur attingere. Vt cum Cicero in Cluentiana caussa gloriatus est se tenebras iudicibus offudisse. Quanto verior esset gloriandi caussa si tenebras ab eorum animis discusisset si omnem errorem eripuisset. si id, de quo iudicaturi erant in clara, vt ita dicam, luce videndum collocasset. At hoc viri boni erat, non oratoris boni. Immo vero ait alius, ne orator quidem esse potest, nisi qui vir bonus sit. Scio istud dici & ad auctorem M. Catonem referri: sed me magis Aristoteles mouet, qui me Philosophus cum alijs rebus rapit, tum quod mirifice veritatis amans videtur. Is igitur, bonus vir sit orator, an minus, negat quidquam ad artem pertinere: Illud quidem

Cõtraposita.

Veritas externis auxilijs non indiget.

An orator vir bonus esse debeat

esse in arte vel præcipuum, ita fingere ac conformare orationem, vt te, quicunq; sis, ij, qui audient bonum virum esse & sibi amicum putent. Egregiam vero & expetendam artem: qua eam iniustitiæ partem doceat, qua nulla capitalior est, quo modo consequi poßis, vt cum maximè fallas, tum maximè vir bonus esse videaris. Quod si maximè ad verum & ad falsum persuadendum vtilis est eloquentia, tamen in tanto periculo, & in tanta multitudine hominum ea improbe vtentium, non passim, neq; quibuslibet vsus illius permittendus esset: Sed vt Cretenses armorum tractationem ingenuis permittebant, seruis denegabant: ita deligēdi essent publicè ex omni multitudine certi tantum qui eloquentiæ præceptis instituerentur. Quid enim est, quo ista præclara facultas, cum semel frontem perfricuit, progredi non audeat? Ornat exquisitissimis laudibus res contemptissimas, & abiectissimas, comam, caluitium, culicem, muscam: nonnullas etiam aperte malas & hominum generi noxias, febrem pestem, bellum, stultitiam: homines teterrimos, Phalarim, Busirin & eiusmodi alios: quæ & si nonnullis fortasse toleranda videri poßint, vt ludrica, neq; alio pertinentia, quam ad exercitationem & ad ostentationem ingenij: tamen haud scio an rectiùs ex ciuitate tollerentur. Certissima enim pestis animorum est mendacium: cui assuefieri periculosum est: cum, vt verissime cecinit Euenus, consuetudo progressu temporis tandem in naturam cōuertatur. Semper mihi placuit dictum Solonis: qui cum Thespi primum tragœdiarum scriptorum ipsum fabulas suas, vt tum mos erat, docentem spectasset, postea quæsisset ex eo dicitur, ecquid puderet, in tanta auditorum multi-

Exemplo Cretensium non quibuscunq; eloquētiæ vsus permittendus.

Rationē dat per interrogationē.

multitudine tam multa mentiri: cumque ille respondisset, turpe non esse talia ioco & agere & dicere: ibi tum prudentissimus senex baculo quem ex Atheniensium consuetudine gestabat, terram percutiens; Næ nos, inquit, si istos iocos hic laudare assuescemus, cito eosdē in contractibus & in iudicijs reperiemus. Sed tamen ne summo iure agamus, neuè omnia nimis ad viuum resecare videamur, demus hanc veniam Sophistis, vt tanquam neurospastæ, aut ij qui agilitate quadam & celeritate manuum, leuibus ac politis calculis huc illuc mouendis spectantium oculos eludunt, quos Græci Psephopactas vocant, ita ipsi quoque talibus argumentis inter pueros ludant: præsertim cum periculū non sit, ne quis quod muscam à Magistro laudari audierit, in captandis postea ac colligendis muscis nimis magnum studium ponat: aut quia febris pestisue multis laudibus ornata sit, talia bona non ipsi potius rhetori euenire optet, quam sibi.* Quid, cum ea sibi ad dicendum argumenta sumunt, quibus subruuntur fundamenta virtutum, amor honestatis excutitur, animi hominum pestiferis ac nefarijs opinionibus imbuuntur, tamen ne eos ferendos esse dicemus? * Olim quidem cum Atheniensibus ob Oropum vastatam, Sycionij, qui eis iudices à Senatu datierant, mulctam quingentorum talentorū irrogassent, eaque iusto grauior videretur: misere Atheniensis legatos in hanc vrbem per quos à Senatu peterent, vti aut eius pœna gratia sibi fieret, aut certè aliquid ex ea diminueretur. Eius legationis principes fuerunt Carneades Academicus, Critolaus Peripateticus, & Diogenes Stoicus. Quibus, dum otiosi in vrbe sententiam senatus exspectant, lubido incessit, Græco

Præclarū senis dictum.

Tales oratores Reip. perniciosi. Exemplo probat.

more epidixis facere, & quotidie in cœtu ac conuentu hominum de varijs quæstionibus disputare. Ibi tum Carneades, qui vi & copia dicendi anteſtare collegis putabatur, quodam die de iuſtitiæ laudibus ornate ac luculenter dixiſſe perhibetur: cum quidem Ser. Galba. & M. Cato ille cenſorius ei diſputationi intereſſent. Sed ille idem Carneades quæcunque tum de iuſtitia dixerat, ea poſtridie contraria diſputatione ſubuertit, multoque plura collegit, quibus planum faceret, iuſtitiam meram eſſe ſtultitiam, oppidoque antiquos ac ſimplices eſſe illos, qui ſi modo impune iniuſti eſſe poſſent, à facienda iniuria, propter inanem quandam vmbram & opinionem iuſtitiæ, temperarent. Senſit Senatus, ad eam diſciplinam nimio plus docilem eſſe multitudinem: neque tanti eſſe audire doctores Græcos compoſite ac modulate verba fundentes, vt propterea fere dum eſſet, corrumpi ciuium ingenia, & ad improbitatem ac nequitiam à fide & à virtute traduci. Conticeſcere igitur eos iusſit & quam primum remiſit Græciam: ne populus ille cuius potentia & auctoritas apud exteras gentes non armis magis quam opinione iuſtitiæ creuerat, benedicendi ſtudio captus benè viuendi ſtudium abijceret. At ſi iure ob eam rem Carneades vituperatus eſt, quomodo defendetur Plato? Nam quæ tum pro iuſtitia tum aduerſus iuſtitiam Carneades dixit, eorũ ſemina multo ante & in Gorgia, & inprimis duobus, de republica libris à Platone ſparſa erant. Meminiſtis, quam multa huius generis in ſuperiore libro Thraſymachus dixerit, quibus multo plura, multoque adperſuadendum efficaciora in eo quem nunc explicare ingredimur, à Glaucone & ab Adimanto adferuntur.

Ad Platonem orationẽ cõuertit occurritque obiectioni.

Nam

Num igitur & Plato vituperandus, qui mandanda illa & consignanda literis duxerit: & male Cicero qui tot annis post eadem in suos de Republ. libros transtulerit: & nos hodie parum prudentes, qui vestra adolescentes ingenia, quorum nobis cultura commissa est, in his potissimum disputationibus cognoscendis exerceamus? Immo vero & nulla in Platonem reprehensio cadit, & culpa vocat Cicero, & à nobis ex omni scriptorum numero nullus eligi poterat, in quo, maiore fructu, quã in Platone vestra elaborantes industria. Nam vt cæterorum quæ supra diximus dissolutionem in aliud tempus reseruemus, & eam tantum partem pertexamus, cuius præcipue caussa hunc sermonem exorsi sumus; dispar quidem fortasse Carneadis caussa atq; ratio fuerit: Plato certe nihil se, nihil Philosophia indignum suscepit: nihil quod non omni ex parte ei, quem vere ac merito animorum AEsculapium nominauit antiquitas, conueniret. Non enim has subdolas iustitiæ criminandæ rationes ipse commentus est, neque earum quasi sator ac parens fuit: sed eas cum ab hominibus improbis proditæ vagarentur ac spargerentur licentius, iamq; per multorum animos quasi contagione quadam serperent, ne diffluerent ac manarent latius, præcidendas ipse atque amputandas, putauit. Non poterat autem iustitia perfecte cumulateq; defendi, neq; profiteri, quanto plus in ea non dignitatis modo, quod & aduersarij fatebantur, sed vtilitatis quoque, quam in iniustitia inesset, nisi omnia quæ pro iniustitia dici consueuerant, accurate, & exponerentur & refellerentur. Hoc igitur ita præstitit Plato, vt nihil in eius argumenti tractatione, vafre, acutè, callidè, apte ad fallen-

Ostendit Platonẽ nulla dignum reprehensione.

In quem finem Plato contra Iustitiã dixerit.

Dialiton

fallendum dici posſit, quod ipſe prætermiſerit. Ac Thraſymachum quidem, vt ſophiſtam, induxit, ſerio & ex animi ſui ſententia pro iniuſtitia perorantem. Cuius inania argumenta & futiles ratiunculas, cũ libro primo, nullo prope negatio ludibundus refutaſſet Socrates: illã quaſi velitationem multo grauior pugna excipit cum Glaucone & Adimanto. Quos tamen, quia viri inprimis boni erant, & iuſtitiæ amantes, ſtatim à principio profitentes ac conſtantes facit, ea ſe dicturos, non quæ ſentirent ipſi, ſed quæ ab alijs dici ſolerent, quæq; reprehendi ac conuinci cuperent: Cum igitur accuratisſimè & exequiſitisſimè ab eis eſſet accuſata quidem & abiecta iuſtitia, defenſa autem & collaudata iniuſtitia, vt vix eorum orationi reſiſti poſſe videretur: Deum immortalem quo robore, qua firmitate, qua copia argumentorum, quanto orationis impetu fregit ac diſſipauit illas iniuſtitiæ copias Socrates? Qui quidem eo rem perduxit, vt aperte demonſtrauerit, id quod etiam hodie nonnullis Chriſtiana religione imbutis, vix ſatis perſuaderi poteſt, non tantum propter præmia, quæ iuſtos & in hac vita comitantur, & poſt mortem manent: neque propter pœnas, quas iniuſti nullo modo effugere ac vitare poſſunt: ſed etiam ſi quis iuſtis omnem præmiorum ſpem, iniuſtis omnem & infamiæ & ſupplicij metum detrahat, infinitis tamen partibus præſtare: in mendicitate, in exilio, in moribus, in tormẽtis ac cruciatibus, in infamia atque odio, in equuleo atq; ignibus iuſtum eſſe, quam cum iniuſtitia viuere in ſummis opibus, & omni earum rerum, propter quas vulgo homines à iuſtitia deſciſcunt, copia circumfluentem.* *Os non loquendi tantum, ſed & ſentiendi,*

Exclamatio cum diſſolutione.

Polyſindeton.

Excurrit in laudes Platon.

ex

ex illis veteribus, quos Deus vera sua cognitione non afflauerat, vnice magister Plato, quæ vnquam per dignitati, ac meritis erga omnem posteritatem tuis reperiri poterit oratio? Tu quomodo animi nostri à vitiorum sordibus purgari possint, ostendisti, tu quemadmodum hominib. adhuc in terra versantib. cœlestem quodammodo vitam viuere liceat, aperuisti: tu diuina cum humanis, quantum quidem humano ingenio id perfici potuit, copulasti: tu ea tradidisti quæ nos, nos inquam ipsi, qui à Deo per filium adoptati, & cœlesti doctrina imbuti sumus, à te dici potuisse miramur. Sed Platonē laudare necesse non est: danda potius opera est, vt quæ ille diuinitus scripsit, cognoscamus ac consequamur: quam ad rem si cui vobis vsui meam esse posse operam creditis, dabo operam quod in me erit, ne vnquam vestra vos de me opinio prorsus fefellisse videatur.

Condu-plicatio

Cõclusio

ORATIO VI.

Ingresſurus explanare M. T. Ciceronis libros de officiis.

Habita Romæ III. Non. Nouemb. M. D. LXXIV.

DECREVERAM *hoc anno pulcherrimum consilium, quod anno superiore ceperam, persequi, & denuo Platonem cum Cicerone coniungere: tum vt adolescentes in studio Græcarum litterarum, quas maximo cum animi mei dolore euanescere, & ad nihilum recidere, secumq; omnis elegantioris doctrinæ genus trahere video, pro mea virili parte con-*

Exorditur ab instituto suo superiorũq;

mandato *te continerem: tum vt nobilissimus Philosophus cuius ante me in his scholis nunquam, vt opinor, audita vox erat, paulatim familiarior factus vberrimis illis sapientiæ & eloquentiæ suæ fontibus ingenia nostra copiosius & abundantius irrigaret. Aliter visum est ijs quorum nutu atque auctoritate nostra omnium studia diriguntur, qui siue mihi ad tractandam siue vobis ad percipiendam Platonicarum disputationum grauitatem non satis esse virium iudicarint, siue in eo aliud quippiam secuti sint, non enim fas nobis esse arbitror, in eorum iudicia curiosius inquirere, omnem à me huius anni operam in vno Cicerone consumi maluerunt. Pareamus libenter, vt par est, ijs, quibus parere omnes debent: quodq; ipsis placuit, id sine vlla retractatione, melius esse credamus. Non enim, ne grauissimis quidem in rebus tantum apud nos valere vlla probabilium rationum momenta debent, vt non multo plus illorum vel iussis, vel consilijs, vel auctoritate moueamur.† Peruolutabimus igitur hoc anno aureos illos M. Tullij libros de officijs: qui cum tres sint: & totidem in partes annuum huius nostri muneris curriculum distingui soleat, dabimus operam vt singulorum librorum explicatio cum illa tripartita temporis nostri distributione ac descriptione concurrat ac congruat. Nam qui dies nobis statis anni temporibus ad relaxandos animos, & ad vires denuo colligendas concedi solent, ijs ipse otium mihi sponte abiudicabo, &, rationes vestras commodis meis anteponens, domi quidem, sed ita vt neminem, qui audiendi ac discendi studio teneatur, excludam, quæ hic temporis angustijs exclusus, non potuero, illic commodius explicabo. Scitis idem me superioribus annis factitasse*

Cur Platonem omiserit.

Quid dicturus.

tasse: & cum ad me magnus studiosorum numerus domum quotidie ventitaret ac conflueret, perfecisse, præficiscini, vt loquebantur veteres, dixerim, vt nulla pars anni vtilius ab eis aut fructuosius poneretur, quam ea quæ libera quotannis ac soluta otio trãsigi solet. Quod ego non iactandi mei caussa dico: neque enim vnquam tantum laboris subire ac suscipere potero, vt aut sanctissimi Pontificis Gregorij XIII. aut amplissimorum Cardinalium, qui iussu ipsius huic gymnasio præsunt, singularem in me benignitatem ac beneficentiam exæquem: sed vt vos, si qua ratione possum exacuam & exsuscitem ad suscipiendam aliquam curam ac cogitationem vtilitatis vestræ: ne cum mihi nauandæ vobis operæ voluntas nunquam defuerit, vestra vobis tarditas ac negligentia aditum ad veram laudem ac dignitatem interclusisse videatur. Ac quoniam scio esse nonnullos, qui mirentur, quos, ipse mihi, cum vacationes dantur, voluntarios labores iniungere soleo, cur non hoc ipso potiùs publice nobis constituto ad docendum loco, quam intra domesticos parietes obeam eius quoq; rei, quæ causa sit aperiam: ne consiliorũ meorum pars vllo vobis ignota sit. Officij enim mei rationem omnibus quam notissimam esse cupio, ne quis cuipiã pateat ad calumniandum locus. Primum igitur si dicam id facere me, vt aliqua pars laboris minuatur mihi, nemo me, vt opinor, merito reprehendat, quod vobis à me sponte tribuitur, si in eo etiam commodi mei rationem habendam esse aliquam putem: præsertim cum vobis ex eo nihil oriatur incommodi. Sed sunt alia grauiora, quæ me magis commoueant. Huc quoties venimus, pẽdendum nobis est ex aliquot abiectissimorum nebulonum

Occurrit obiectioni.

Ratio cõsilij sui.

*num libidine, qui sibi pro oblectamento habent, obstrè-
pendo, obturbando, exsibilando, laudabiles aliorum
conatus, quoties collibuit, impedire. Domi ab illa fæce
ac colluuie nihil periculi est. Vbi si quid tale tentare
audirent, extruderentur: & si redire postridie vellent,
excluderētur. Hic vix vnquam mihi horam integram
docere permittitur. Domi me sæpe, horas duas summo
silentio, summa omnium voluntate auditum esse me-*

Repetitio.

*ministis. Illic si quis quid minus intellexit, licet rogare,
licet colloqui, licet placide ac comiter, si quid sit, de quo
dubitetur, exquirere. Hæ me caussæ adducunt, vt quo-
ties à publico munere cessatio est, libentius doceam do-
mi. Neq; dubito, quin hoc consilium meum omnes æqui
& harum rerum intelligentes existimatores probent.*

Transitio ad laudes librorum Ciceronis de officijs. Cur in pretio habendi.

*De quo cum & aliquid dicendum fuerit, & satis mul-
ta iam dixisse videar, transibo ad alia, quæ proprie per-
tinent ad eos libros, quos vobis hoc anno Deo fretus ex-
planare decreui. Qui quidem multis nominibus ma-
gno apud nos in pretio esse debent. * Primum quod Ci-
ceronis sunt, hoc est, eius viri, qui perpetuo omnium
ætatum consensu inter Romanos scriptores eloquentiæ
laude ita enumeratur primus, vt ab eo nemo numere-*
1. *tur secundus: Deinde quod scripti à Cicerone iam sene,
cum singularis ille vir, natusque in posteritatis exem-*
2. *plum, & multo studio, multisque vigilijs, & longo vsu,
ac tractatione rerum maximarum, & multis quibus
agitatus erat, casibus, immensam sibi quandam vim
sapientiæ ac prudentiæ comparasset, fuit enim hic pro-
pe vltimus illius præstantis ingenij fætus: vt postea ma-*
3. *gis intelligetur. Adde quod scribit ad filium, & ad fi-
lium Athenis agentem in conuictu ac contubernio ho-*

minum

minum doctisſimorum: vt veriſimillimũ ſit, & ſummam ab eo curam adhibitam colligendis vndique bonis & vtilibus præceptis, quæ congereret in eos libros, ex quibus vnicum & vnice earum filium legem ac normam instituendæ vitæ petere vellet: neque quidquam prætermiſſum in limandis ac perpoliendis quæ ita ſcriberentur, vt in tam vrbem, quæ tum eruditionis ac ſapientiæ domicilium erat, acutisſimorum hominum ſubitura iudicium, mitterentur. Conſtat etiam ipſum ſibi valde placuiſſe in confectione horum librorum: vt qui ſibi vnus optime conſcius eſſet operæ in eis ſcribendis collocatæ. Nam & principio commendat eos, vt ad Latinæ orationis vbertatem ac copiam profuturos, & ad finem, magnum à ſe munus habere filium dicit, & ad Atticum ſcribens, homini eruditisſimo, & cuius ipſe ſæpè miniatulas ceras extimeſcebat, magnum huius operis expectationẽ concitare non veretur. Nos hic, inquit, φιλοσοφοῦμεθα, quid enim aliud? & τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος magnificè explicamus, προσφωνοῦμενque Ciceronem: qua de re enim potius pater filio? deinde alia quid quæris? extabit opera peregrinationis huius.

vtilitas horum librorum.

Ac en quis ipſius, quaſi Aſtÿdamantis cuiuſdam, de ſe teſtimonium eleuare conetur, ſciat hos libros ſemper fuiſſe in prima commendatione apud ſapientisſimos quoſque, vt & tererentur aſsiduè manibus, & à pleriſque etiam ad verbum ediſcerentur. Inter quos minime contemnendum eſt iudicium Alexandri Seueri Imperatoris optimi & eruditiſsimi, de quo ita ſcribit Lampridius. Poſt actus publicos, ſeu bellicos, ſeu ciuiles, lectioni Græcæ operam maiorem dabat, de Republ. libros Platonis legens: latina cum legeret, non alia magis legebat,

A viris doctis in prætio habiti.

gebat, quam de officijs Ciceronis & de Rep. vt mihi hoc quoq; perbelle cecidisse videatur, quod cum anno superiori libros aliquot Platonis de Republ. interpretati simus: eis nunc subijciamus interpretationem librorum Ciceronis de officijs, quasi præstantissimi, & sapientissimi Imperatoris vestigia persequamur, † sed nihil est quod magis inuitare atq; allicere nos debeat ad accuratam horum librorum lectionem, quam res ipsa, de quibus in eis disputatur. Continent enim præcepta virtutis, docent quomodo vnusquisque in omni parte vitæ gerere se debeat, quid à quoq; postuletur, quid quemq; doceat, quid patriæ præstandum sit, quid parentibus, quid propinquis, ceterisq; amicis, quid vniuerso hominum generi, ea deniq; quorum studium.

Ad horũ librorũ materia.

AEq; pauperibus prodest, locupletibus æque:
AEque neglectum pueris senibusq; nocebit.

Præclarũ Socratis dictũ.

Socrates quidem, qui in his & talibus quærentis studium omne consumerent, eos sapere vnos prædicabat: qui, his neglectis, de natura mundi, de rebus superis, de caussis ventorum, imbrium, fulgurum, philosopharentur, desipere hallucinarique dicebat. Eo autem hi libri à cordatis, vt Ennij verbo vtar, & intelligentibus pluris fieri debent, quòd cum ducti sint è stoicorum disciplina, quorum fuit quidem seuerum in primis, &, vt ita dicam, masculum philosophandi genus, sed pleraque tamen præcepta rigidiora, & à communi hominum captu remotiora: ita se Cicero temperauit, vt ab illis, quæ absurda, aut erant, aut videri poterant, abstinuerit, omniaque ad ciuilis vitæ institutionem apta & accommodata protulerit. Sed de caussis cur hi libri nobis cari, ac commendati esse debeant, abundè dictum puto.

Nunc

Nunc antequam progrediar longius, non erit alienum breuiter respondere quibusdam reprehensoribus, qui me non tantum absentem in circulis & conuiuijs vellicant, sed esse interdum etiam præsenti molesti solent. Aiunt enim perperam facere me, qui cum iussus sim, quantum quidem vires meæ fuerunt, eloquentiæ præcepta tradere, eiusmodi tamen ferè libros interpretor, qui non tam benè dicendi, quam benè viuendi præcepta cōtinere videantur. Quam reprehēsionem, si ambitioni meæ seruire vellem, nunquam equidem refellerem. Quod enim esse mihi gloriosius potest, quam si vobis iuuenes ea præcepta quotidie instillare dicar, quibus nō tam oratio comptior, quam vita melior fiat? O beneuolos reprehensores, & existimationi meæ amicos: ô reprehensionem cuilibet laudi anteponēdam. Quis non eos à me ipso appositos atq; allegatos putet? Nam orichalcum pro auro, aut vitrum pro gemma si quis vendiderit, merito, vt improbus, accusetur; aurum quidem pro orichalco, aut gemmam pro vitro qui dederit, nemo se, ni fallor, ab eo delusum ac deceptum conqueratur. Sed ne quis sit error, hoc sibi responsum habeant, iam inde ab heroicis temporibus coniuncta fuisse harum rerum professionem. idq; vel illo cognosci Homeri loco, vbi Phœnix datum se Achilli à Peleo dicit, vt eum & ornate dicere, fortiter facere doceret,

Aduersarijs respondet eos eludendo & irridēdo

Ironia.

Τοὔνεκά με προέηκε διδασκέμεναι τάδε πάντα,
Μύθων τε ῥητῆρ᾽ ἔμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων.

Et certe siue vera est M. Catonis illius sapientis definitio, oratorem esse virum bonum dicendi peritum: qui, quomodo vir bonus fiat, docet, potiorem ac præstantiorem partem artis oratoriæ docet: siue Aristotelem sequi malu-

A definitione oratoris.

malumus vt quamlibet bonum oratorem esse posse dicamus etiam qui non sit vir bonus, facere tamen nullo modo possumus, quin eam partem philosophiæ qua formantur mores, oratori futuro necessariam esse fateamur. Quomodo enim aptè & copiose aut laudabit aut vituperabit, nisi qui virtutum vitiorumq; naturam, ex quibus omnis vera laus & omnis vituperatio nascitur, diligenter cognitam ac pertractatam habuerit? quomodò potens & efficax in suadendo aut dissuadendo futurus est, qui, quæ secundo horum librorum de vtili atq; inutili traduntur, nunquam didicerit? quid aget in iudicijs qui iustitiæ iniustitiæque cognitionem è philosophorum fontibus haurire neglexerit? An ego si troporum ac schematum exempla traderem, & quotidie illa ludimagistrorum dicta cantarem, de exordio, de diuisione, de narratione, de confirmatione, de epilogo, de generibus caussarum, de statibus, ad quæ puto iã multorum è vobis aures occalluisse, plus vobis ad eloquentiam prodessem, quam cum aut libros Platonis de Republica aut Ciceronis philosophica interpretor? Vera & solida eloquentia non tantum in verbis posita est, sed in rebus. Præclare autem Horatius,

Scribendi rectè, sapere est & principium, & fons.
Rem tibi Socraticæ poterunt ostendere chartæ:
Verbaq; prauisam rem non inuita sequentur.

Sed vt Ixion in fabulis pro Iunone nubem: ita hodie magna pars hominum pro eloquentiæ amplectitur inanem loquacitatem. Atque hoc deterius eunt res, quod qui omissis rebus verba curant, ne verba quidem satis curant, suntque in illo ipso puerili ac ludicro studio Epilogus. *negligentes. Vos si me auditis, vtrumque curate, & date o-*

te operam, vt olim oratio vestra & copia rerum madeat & bonis ac lectis verbis constructa sit. At vtrumque vobis operam meam profiteor, &, magis vt vos excitem, quam vt me extollam, iam nunc prædico ac præmoneo, nisi ad aliquam in hoc genere laudem perueniatis daturum me operam, vt omnes homines intelligant, quiduis potius vobis, quam me viuo hortatorem ac ducem ad eloquentiam defuisse.

ORATIO VII.

Cum Aristotele libros de arte Rhetorica interpretari inciperet.

Habita Romæ Postridie. Non Martii M. D. LXXVI.

CRedo ego, auditores, vestrũ plerosq; mirari, eosq; maxime, qui me diutissime audierũt, quod cum huius anni principio orationes Ciceronis in Verrẽ explicare ingressus essem, ostẽdissemq; non prius me destiturum, quam eas omnes absoluissem: nunc mutato præter opinionem vestrã consilio, Aristotelis libros de arte dicendi interpretandos susceperim. Nam duodecim totos annos, quibus in hac vrbe publice docui eam consuetudinem quantum in me fuit, constantissimè tenui, vt, cum alij ordinis mei homines ferè tertio quoque mense nouum aliquid susciperent: quod illa crebra commutatione facilius & allici & retineri iuuenum animos cernerent: ego contra ab eo quem semel in manus suscepissem, libro, non facilè auelli me paterer, neq; integrũ modo annum, sed nonnunquam triennium, aut qua- Exorditur à

driennium vno atque eodem in scriptore consumerem. Quod institutum meum & si non deerant qui reprehenderēt, illi tamen quibus ego me probari cupio, semper probarunt. Nunc igitur quid causæ fuerit, vt ab eo descinerim, aperire constitui: tum vt ne quis id, tanquam temere factum, leuitati atque inconstantiæ adscribendum putet: tum vt omnes intelligant, quicquid huius factum est, vestræ vtilitatis causa factum esse, neque alio, quam ad studia vestra quibuscunq; rationibus possum, promouenda, meos omnes conatus, omnes cogitationes, omnia consilia pertinere. Primum igitur viros graues, & in hoc studiorum genere diligenter accurateq; versatos, qui & ad me sæpe domum ventitare, &, cum licet, auditorium hoc frequentare consueuerunt, quoties recordarentur vterum illarum disputationum, quæ à me de rebus grauissimis quotidie habebantur, & olim cum Aristotelis libros de moribus, & proxime cum Platonis libros de republica interpretarer indignantes atq; ægre ferentes audiebam, eo redactum esse me vt de quæstiunculis ad grammaticos pertinentibus disserere cogerer, & monere pueros quid latine, quid minus diceretur: Quærere ex qua familia fuisset Verres aut vnde duxisset vxorem: aut vbi & quamdiu exulasset: quis ille esset, quem legum laqueis irretitum versicoloribus tabellis Iudicum seueritati eripuisset Hortensius; quando ludi Romani, quando ludi Victoriæ, quando plebeij committerentur: eiusdemq; generis alia: quæ fallere modo atq; oblectare puerorum otium, non etiam cordatorum hominum studia tenere possent, quorum in orationibus Ciceronis, aliisq; eius notæ scriptis exercetur industria: à me grauiora

Cur causas enumeret ob quas mutarit consilium.

quæ-

quædam & minus vulgaria requiri. Ciceronis scripta magnam partem eiusmodi esse, vt eorum sententiam quilibet, qui modo neq; pingui atq; obtuso ingenio sit, neq; in literis hospes & peregrinus, si non facile, ac certe aliquo modo per se consequi queat: esse alios scriptores, qui sine aliquo itineris duce vix perlustrari à rudioribus possint: ad hos cupere se aditum sibi opera mea patefieri: ad hos facem sibi à me aliquam præferri: quod laboris in eis intelligendis capere necesse haberent, eius sibi partem per me aliquam detrahi. In eo autem sermone sæpe Aristotelis libros de Rhetorica nominabant: ostendebantq; non obscure, nihil sibi accidere posse iucundius, quam si adducere me possent, vt eos publice interpretarer. Ego qui & iustæ eorum petitioni obsequi cuperem, & vt verum fatear, voluntate mea eo inclinarem, quo me ipsi vocabant: nihil tamen prius decernendum statui, quam, vt veteres illi, Apollinem, * ita eum consulerem qui mihi in rebus obscuris & incertis pro Apolline est, præstantissimum virum, & summa eruditione, summa virtute, summa dignitate præditum Gulielmum Sirletum Cardinalem commune decus ac præsidium omnium literarum, omniumque literatorum. Ad quem cum venissem, sententiamq; ac voluntatem ipsius super hac re exquisiissem: homo omnium, quos vnquam audiui, disertissimus, & in dicendo copiosissimus, ita vehementer hortari me cœpit ne vlterius differrem facere quod rogabar, verbis,

Cur Aristotelis libros de Rhetorica explicandos assũpserit.

Laus Sirleti Cardinalis.

Quæ timido quoq; possent addere mentem,

ait Horatius, vt non modo me, qui eodem, vt dixi propendebam, sed quemlibet alium, vel eloquentia vel auctoritate sua, quo vellet, impulsurus fuisse videatur il-

lius igitur auspiciis, quod felix faustumq; sit bona spei plenus, ad hoc mihi arduum ac laboriosum, vobis, vt spero vtile ac fructuosum munus accingor; & quoniam consilij mei rationem, tanto præsertim auctore subnixam, satis iam omnibus probatam esse confido, * accedo ad ea quæ celeberrimi Aristotelis interpretes cuiusq; libri principio accurate tractare ac persequi solent. Sunt autem illa numero septem. Primum enim videndum est quid in his libris Aristotelis propositum sit quod illi σκοπὸν vocant. Tum quæ vtilitas ex accurata eorum peruolutatione sperari queat. Tertio, quæ sit vis ac ratio inscriptionis. Quarto, sit ne verus hic ac germanus Aristotelis fœtus. Quinto, quo ordine inter ipsius opera legi debeat. Sexto, in quot ac quæ præcipua capita diuidatur. Postremò, ad quam Philosophiæ partem pertineat. De quibus singulis dum breuiter disputo, peto vt me attentè audiatis. * Propositum est igitur Aristotelis viam ac rationem tradere, qua, vbi perpetua ac continuata oratione vtendum est, videamus omnia quæ accommodata sunt ad id quod volumus persuadendũ atq; obtinendum. Nam vt in topicis, quibus totam dialecticam complexus est, omnes vias tradidit, quibus in colloquijs & congressibus hominum possemus probabiliter aut opinionem nostram tueri, aut alienã impugnare: ita in his libris nihil prætermittit eorum, quæ vsui esse possunt, cum quis perpetua oratione aliquid multitudini persuadere meditatur. Egregia res, Deus immortalis, egregia, & digna quã vos quibus integer æui sanguis, quibus virent genua, omni studio ac contentione sectemini. Quid enim aut gloriosius, aut vtilius, aut denique optabilius, quam regnare quodammodo ac dominari

[Margin notes: Propositio. / Partitio. / Petitio attentionis. / Quid in his libris sibi proposuerit Aristoteles explicare. / Condu-plicatio. / Amplificatio à rei præstantia.]

minari in aliorum animis. flectere eos linguæ gubernaculo quo velis, & quid probent, quid reijciant, quasi pro imperio ac potestate præscribere? Neq; vero est quod vereamini, ne vobis fucus fiat, neu præclara quædam & eximia professi, nihil postea, quòd aut expectationi vestræ, aut pollicitationibus nostris respondeat, proferamus. Aristoteles est, quem sequimur, non ostentator aliquis, non vnus ex istis diobolaribus magistris, qui cum inepta quædam & puerilia & ad scholasticas modo concertationes vtilia tradiderunt hanc Rhetoricam esse iactant: sed Philosophus grauissimus, veritatis amantissimus, & cum alijs nominibus suspiciendus, tum hoc, vel præcipue, quòd semper plura præstat quam pollicetur. Vtinam modo vobis serio experiri libeat, an hæc vera sint. Vtinam quàm facilè dictis nostris constabit fides, tam facilè ac constanter à vobis industria sedulitasq; præstetur. Nō metuo, ne quis se delusum conqueratur. Atque equidem propè iam superuacaneum puto plura verba facere de eo, quod secundo loco proposueram, hoc est, de vtilitate, quæ accuratam horum librorum tractationem consecutura videbatur: Nam & res per se clara & perspicua est: & cum alij, tum nos ipsi sæpè multa de vtilitate eloquentiæ diximus: & Aristoteles ipse sub principium huius libri in eam sententiam dicturus est pauca quidem vt Menelaus Homericus, sed quibus nemo acer & intelligens existimator plura requirere debeat.* Transeamus igitur ad inscriptionem quæ hæc est, Aristotelis de arte Rhetorica libri tres: in qua nihil ferè aliud notandum videtur, quam non frustra in ea artis nomen expressum esse. Plato enim, vt suo loco videbimus, Rhetoricā artis nomine indignā esse di-

Refellit tacitā obiectionē.

De librorum vtilitate.

De vi ac ratione inscriptionis horum librorum.

Cur Rhetoricam artem vocaue-

rit.

se dixerat, eamq; vsu tantum quodam exercitatione rationis experti contineri, & , vt ipsius verba ponamus, τριβόν μόνον τινὰ καὶ ἐμπειρίαν ἄλογον εἶναι tradiderat. Quā opinionem vt statim à principio amoliretur Aristoteles, ne qui forte Platonis auctoritati commoti nullam esse artem dicendi putarent in ipso librorum suorum vestibulo artis nomen adscripsit. Vix puto esse quenquam hodie vsq; adeo imperium, vt hos libros esse autumet, quos de arte Rhetorica ad Theodecten Aristoteles scripsit, sed tamen quia scio fuisse qui ita crederent, quasi præteriens monebo, alios esse: etenim tertio horum librorum, libri ad Theodecten citantur. Nunc dicamus de eo quod quarto loco posuimus, & videamus ecquid certo constituere possimus, hos libros Aristotelis esse Πάσχομεν γὰρ ὑπὸ τῆς προσώπων δόξης, ait Simplicius.† Ne quis autem hoc frustra queri existimet, sciat, veterem hunc errorem esse, vt claris scriptoribus multa tribuantur, quæ ab eis scripta non sunt. Sic Homero ipsi scriptorum nostrorum antiquissimo non desunt qui hymnos, siue vt Thucidides vocat, prooemia falso tribui adfirment, etsi mihi quidem Thucydides omnes dubitationem tollere videtur, qui ea vt Homerica agnoscit. Sic quædam Moschi & Bionis Theocrito vulgus adscribit. Sic arra eius putatur esse, cum ex Luciano constet eam esse Dosithei: & securis quam Hephestio Simmiæ Thebano tribuit. Sic Phædonem Platonis sunt qui Panætij Stoici esse contendant. Sic eiusdem Alcibiades secundus ab alijs ad Xenophontem refertur. Sic denique multa scripta veterum, aliorum sunt, aliorum putantur. Contigit hoc interdum propter similitudinem nominum: vt cum Demetrij Alexandri

Hi diuersi à libris ad Theodectem.

An libri sint Aristotelis.

Cur claris scriptoribus multa falso tribuantur.

†propter similitudinē no-

xandrini libellus elegantissimus de elocutione Demetrio Phalereo tributus est: sic olim multæ fabulæ tribuebantur Plauto, quæ Plautij cuiusdam erant. Sic Anaximenis Lampsaceni liber de Rhetorica ad Alexandrum vulgo inter Aristotelea numeratur: sic quidam ex veteribus non ab eodem Homero scriptam esse dicebant Odysseam, à quo Ilias scripta esset. Interdum propter similitudinem inscriptionum: vt cum Ethica scripsisset Aristoteles, scripsisset & Nicomachus, erant olim qui Nicomachi Ethica ad Aristotelem referrent. Sed præter cæteros Aristotelis scripta senserunt hoc malum: idque propter eam caussam quam mox audietis. Aristoteles moriens Theophrastum vt scholæ, ita bibliothecæ suæ successorem reliquit. Theophrastus & suam & eam quæ Aristotelis fuerat, Neleo Scepsio, qui vtrumque in patriam asportauit. Huius hæredes, homines imperiti & idiotæ libros illos negligenter habuerunt, ita vt multis admodum locis humore corrupti & à tineis exesi sint; Accidit vt Reges Asiæ conficiendarum bibliothecarum studio incensi, libros veteres vndiq; conquirerent, magnaq; præmia proponerent, si quis ad se aliquid Platonis aut Aristotelis aut similium attulisset. Ibi improbi homines pecuniæ cupiditate adducti, multa adfinxerunt Aristotele, de quibus Aristoteles nunquam ne per somnium quidē cogitarat. Hanc historiā narrat Strabo libro decimotertio de situ orbis, venerat Athenæus, narrat Plutarchus in Sylla ἐγράφη δὲ πολλὰ βιβλία κατ᾽ ἐκεῖνον μάλιστα τὸν χρόνον, *ait Simplicius*, ὅτε πολλοὶ τῶν βασιλέων περὶ τὰς βιβλιοθήκας σπουδάζοντες πολλοῦ χρυσίου τὰ ἀπεξενωμένα τῶν βιβλίων ὤνοντο. *Quatuor igitur argumentis præcipue*

minum.

2 proptèr similitudinem inscriptionum.

Cur præcipuè Aristoteli multa sint falsò adscripta.

cipue τὰ γνήσια deprehendi solent, similitudine elocutionis, conuenientia sententiarum: si item liber ille, de quo quæritur, citetur in alijs γνησίοις: aut in eo citentur alij, quos constet esse γνησίους: Et si eum ex antiquis, ij qui de huiusmodi rebus iudicare poterant pro Aristoteleo habuerunt.

Reliqua desiderantur.

Cum pergeret in eorundem Aristotelis librorum de arte Rhetorica interpretatione.

ORATIO VIII.

Habita Romæ Postridie Non. Nouemb. M. D. LXXVI.

Exorditur ab eo quod cũ corpore canescere debeat oratio

NOn detinebo vos inanib. verbis. Neq; enim id aut mea multorũ iam annorum consuetudo fert, aut vtilitatis vestræ ratio postulat. Licuerit olim adolescentiori captare ac persequi communes locos, & eorũ vnum aliquẽ quotannis deligere, in quo comendo ac poliendo primus hic cõsumeretur dies. Tunc fortassis ætatem floridam floridum orationis genus non dedecebat: studioseq; omnia conquirentem quibus aures irritentur, nemo culpabat. Mea nunc oportet meũ vt canescat oratio: & vt corporis tardior motus effectus est, sic & ipsa grauior facta amplius sibi iuueniliter exultandũ non putet. Nõ omnibus ætatibus eadem cõueniunt: neq; quicquid virginem decuerat, matronam decet. Etiam anni tempestatibus sua cuiq; cæterarum dissimilis pulchritudo est. Verno tempore gemmea pratorum nemorum-

Simile.

Descriptio veris

morumque viriditas & riuorum decurrentium allisa & impacta molliter ad pellucentes lapillos argenti similis aquula pascit oculos: mulcet vndique aures auium cantus: ab arboribus in nouum se florem induentibus odores suauissimi afflantur: ad voluptatem atque oblectationem omnia dirigi, eamq; spectare vnam videntur. Talis adolescentiæ facies est. At postea quam & fruges & arborum fœtus æstiuo calore percoctos ac torrefactos tepore suo mitigauit, & ad maturitatem perduxit autumnus, longè alius aruorum, alius arborum aspectus est. Flauæ segetes, liuidæ vites, onustæ opibus suis arbores: nō corollæ iam aut serta texuntur. sed teritur area. fluunt prœla: horrea cellæque cōplentur: ad vtilitatem, non amplius ad voluptatem, omnia referuntur. Hic in quo ego nunc sum, quasi autumnus quidam ætatis est quod senectutis limen ac vestibulum Græci poetæ vocant. Quo tempore vt in rei familiaris administratione attentiores esse ad lucrum homines, omissis inanibus, solent: ita me in hac literarum tractatione, quod mihi vnicum patrimonium est, ijs omnibus quæ ad pompam tantum atque ostentationem faciunt, amputatis ac circumcisis, fructuosa modo consectari decet. Itaq; hodie non faciam id, quod multi me fortasse facturum putabant: vt aliquod mihi argumentum sumam, in quo disertus ac copiosus videri studeam; sed ea oratione mea complectar, quæ, si dabitis operam, vt bene penitus animo combibatis ac comprehendatis, non minimam vobis vtilitatem allatura esse confido. Quando enim Aristotelis de arte Rhetorica libros vna euoluere oxorsi, propter eam, quæ quotannis æstate fieri solet, exercitationum nostrarum intermissionem,*

Appositum contentio.

Captas beneuolentiam ab vtili.

sionem, diu iam ab eo euagati, quasiq; peregrinati su-
mus, ne quid ea res vobis incommodi afferat, neue ob-
stet, quo minus quæ re icta sunt facile à vobis percipi
propositio. *possint.* * *reuocabo ac repetam vsq; à capite omnia, quæ*
vsque huc, duce ac magistro Aristotele, didicimus, eo-
rumque summam quandam conficiam, vt cum vobis
in memoriam redegero si quid effluxit, omniaq; sub v-
no aspectu posuero, commodius cetera pertexantur. *
Principio igitur meministis dicere me quatuor fuisse,
quæ Aristoteli de Rhetorica scripturo obijci posse vide-
Quatuor quæ Aristoteli obijciuntur. *rentur.* * *Primum, non satis dignam esse, quam talis*
tantusq; Philosophus sibi docendum atq; illustrandam
sumeret: quippe quam vsq; eo contempsisset, atq; abie-
cisset Plato, in Gorgia eam cum arte coquorum compa-
rasset, easq; inter se proportione respondere dixisset. Me
rito autem magna iam tum erat Platonis auctoritas.
1. Vbi Plato refellitur. *Sed cum idem ille Rhetorices exagitator Plato diale-*
cticam summis laudibus affecisset, summo artificio fe-
cit Aristoteles, vt in ipso operis sui vestibulo Rhetoricam
non cum arte coquorum, vt ille dixerat, sed cum ea
quã ipse laudibus in cœlum tulerat, quam fastigium o-
mnium disciplinaram vocauerat, dialectica ex æquo
conferendam ac comparandam esse contenderet, idque
Secundũ *veris ac solidis argumẽtis doceret. Deinde quia idẽ Pla-*
to Rhetoricam ab artium numero excluserat, eamque
vsum modo quendam & exercitationem esse artis ac
rationis expertẽ dixerat: obijcere aliquis Aristoteli po-
terat, frustra eum in ea re certis præceptionibus alligã-
da ac deuincienda laborare, quæ vsu tantum quodam
Ref. ad 2. *sine vlla certa ratione contineretur. Quam repreben-*
sionem ita summus philosophus à se amoliebatur, vt
doce-

doceret, quaecunque ab hominibus ita fierent, vt alij temere ac fortuito, alij exercitatione & diligentia adhibita idem efficerent: ijs in omnibus causam notari obseruariq́ posse cur ita eueniret: caussæ autem cur quidque fiat, cognitionem ac comprehensionem, & omnium, & Platonis ipsius confessione, proprium quiddam artis esse: ex quibus effici, aut artem tam esse Rhetoricam, aut certè si quis in eam curam incumberet, facilè ad artis formam posse reuocari. Nam quod tertium ad ferri poterat siue illa ars esset, siue minus, satis multos illius doctores ac magistros extitisse: vt caussa non esset, cur hic noster actum agere & quæ ab alijs toties decantata ac repetita erant, denuo reponere atq; iterare vellet: id ipse ita refutabat, vt diceret alios ante se omnes aut particulã modo quandam artis attigisse, aut etiã ijs se in rebus exercuisse, quæ nihil ad artem pertinerẽt, neruos ac robur ipsius artis aut modice delibasse, aut penitus omisisse: alios igitur eam doctores requirere alijs magistris indigere: operam in ea pertractanda ac perpoliendа suam minimè otiosam ac superuacaneum fore. Quarta accusatio. longè omnium grauissima erat, nisi refutata esset. Erant enim qui dicerent, Rhetoricen non modo vtilẽ non esse, sed etiam perniciosam ac pestiferã: vt eam qui docerent, ne dum præmio afficiendi sed è ciuitatibus eijciendi atq́ exterminandi viderentur. Hãc infamiam arti suæ conflauerant sophistæ cum profiterentur, arrogantibus sane verbis; & inuidiæ plenis, docere se, quomodo caussa inferior dicendo superior fieri posset. Sed Aristoteles multis argumentis eam vtilissimam esse hominum generi docuit, & quæ mala vulgo ex ea manare putarentur, ea non arti ipsi adscribenda esse,

Tertium

Soluit tertium.

Quartũ pernicio sam esse Rhetoricam. Mala ex ea promanãtia nõ arti, sed vtentium improbitati tribuenda.

esse, sed eorum improbitati, qui re per se bona & salutari ad homines in fraudem inducendos abuterentur.

Ostendit Rhetoricam non esse artē persuadendi.

His perpurgatis accessit ad ipsius artis tractationem: ac primo loco docuit falsum esse, quòd Plato à Gorgia dici fecerat, quodq; multi postea, quanquam merito ab Aristotele reiectum ac repudiatum, secuti sunt, Rhetoricā esse aut artē aut facultatē persuadendi. Vt enim medicina non est ars sanandi, sed ars videndi omnia quæ apta & accommodata sunt ad sanitatem aut conseruandam aut recuperandam: ita Rhetorica non est ars persuadendi, sed ars videndi atque excogitandi omnia quæ in quaq; re valent ad faciendam fidem. Certè enim cuiusq; artis finis est, id quòd ita vnaquæq; ars spectat, vt nō progrediatur alterius: sed vbi id præstitit, suo se munere perfunctum putem. * Vt ergo medicus non ita se demum muneri suo satisfecisse arbitratur, si ægrotum sanauerit; sed cumulate quidquid à se requiri potest præstitisse, si ex artis suæ præceptis ea omnia adhibuerit, quæ ad sanandum pertinebant: * ita orator, etiam si nō semper persuadeat, dum tamen nihil omittat eorum quæ artificiose cogitari possunt ad persuadendum, finem arti suæ propositum cōsecutus est. Nā quòd postea quidam clari inprimis, ac nobiles dicendi magistri, finem oratoris esse dixerūt, persuadere: munus autem dicere apposite ad persuadendum, in quæstione satis per se ad explicandum facili distinctionem minime necessariam quæsierunt. In omnibus enim artibus idem prorsus est officium artificis, & finis artis. Sed nihil prohibet eum ipsum artis finem ad alium finem vlteriorē referri, vt cōstare potest ex ijs quæ disputari solent principio libri primi Ethicorum, Neq; vnquam finis ita statuendus

A simili.

Quis finis cuiusque artis

Finis Medicinæ.

Finis oratores.

tuendus est, vt illius consecutio atque adeptio non sit in potestate nostra. Et hoc sequebantur Stoici in multo grauiori disputatione, cum dicerent finem hominis esse non quidem consequi, quæ secundum naturam essent: id enim non semper ab homine posse præstari: sed omnia facere quæ ad illorum cōsecutionem pertinerent. Quod quidem ita mordicus defendebat, vt dicerent finem periti iaculatoris esse, non tam collineare, id est, cum locum quem peteret, hasta aut iaculo attingere quam omnia facere ad collineandum. Qua in re & si deridentur à Cicerone ac Plutarcho, non tamen fortaßis tam ridicula est eorum opinio, quàm primo adspectu videri potest.* Sed Aristoteles, vt ad institutum nos referamus, Rethoricam definiebat facultatem vidēdi quid in quaq; re aptum esset ad persuadendum. Quam definitionem à M. Fabio parum considerate reprehensam à nobis accurate ac diligenter defensam esse meministis. Vis autem persuadendi tribus omnino in rebus sita est: vt benè de nobis opinetur auditor: vt ita commoueatur ipsius animus; quomodo expedit ad id quod volumus obtinendum: & vt nos id quod persuadere volumus aut demonstremus aut demonstrare videamur. Hoc postremum quod alij omnes prope intactum reliquerant, Aristoteli primum ac præcipuum, & solum ex tribus artis proprium videtur. Itaq; de eo primum dicere ingressus est. Eorum igitur quibus demonstramus id quod volumus, duo genera sunt: vnum eorum quæ arte pariuntur, alterum eorum, quæ extrinsecus adferuntur. Leges enim & testimonia & quæstiones, iusiurandum & pacta non orator ipse fabricatur, neq; ex caussæ visceribus eruit: sed extrinsecus allata, artificiose tamen tractat,

Definitio Rhetoricæ secundum Aristotelem.

Vis persuadendi in tribus consistat.

Eorum quibus fit demonstratio duo genera. Polysindeton.

eisq; prout commodum est, robur aut addit, aut detrahit: rursus eorum quæ ipse artificio suo gignit, quasique producit, bipartita distinctio est. Vt enim dialecticus duobus instrumentis vtitur ad probandum, syllogismo & inductione, ita orator duobus, quæ illis ex altera parte respondeant, enthymemate & exemplo. Enthymema, oratorius syllogismus est: exemplum, oratoria inductio. Cum autem orator in necessarijs rebus perraro versatur sed in ijs plerunque de quibus deliberamus, quæq; etiam aliter se habere possunt: fit, vt exemplum quidem sit inductio, enthymema autem syllogismus eiusmodi de rebus quæ nulla necessitate deuincta, sola probabilitate nituntur. Cumque necessaria ex necessarijs, verisimilia ex verisimilibus concludantur ac colligantur: omninoque similia sint ea quæ concluduntur, eorum ex quibus conclusa sunt efficitur: vt enthymemata paucissima ex necessarijs, pleraq; omnia ex verisimilibus ducantur atq; eruantur: Ducuntur autem enthymemata ex ijs quæ εἰκότα græci vocant, nos fortasse consentanea vocare possumus, & ex signis εἰκότα sunt generales quadam sententiæ de ijs quæ ad vitam hominum pertinent, veræ quidem illæ plerumq;, neq; tamen semper ac necessario veræ. Cuius generis sunt, senes parcos esse ac seueros: Adolescentes propensos ad libidinem ingeniosos esse Athenienses: habetes atq; obtusos Scythas: signorum autem alia nihil necessario concludunt: sed tamen habent aliquam speciem probabilitatis: vt illud AEneæ apud Virgilium:

Duo oratoris instrumenta.

Vnde Enthymemata ducantur.

Diuisio signorũ.

Accipe nunc Danaum insidias; & crimine ab vno
Disce omnes.

non enim si fallax Sino fuit, & idẽ Græcus, satis argu-

menti est, cur putemus Græcos omnes esse fallaces, aut si quis eum qui crebro anhelet, ex eo colligat febrim habere: non enim soli id faciunt quos febris tenet: alia rem necessario demonstrant: vt si quis neget virginem esse eam cui lac ex vberibus fluat. Priora illa communi nomine signa dicuntur: hæc Aristoteles τεκμήρια, Cicero proprias notas vocat. Exemplum autem est, cum ex vno pluribusq; similibus, aliud idem simile colligitur. Vt, sit intēperantia ac libido Tarquinijs, si Dionysio iuniori regnum ademit, credibilè est huius quoq; qui illos imitatur, eandem exitum fore: * secuta inde est enthymematum diuisio: quod alia oratoria essent: alia certæ alicuius artis aut facultatis propria. Oratoria sunt, quæ ducuntur aut ex locis communibus, aut ex ijs formis quæ à rhetoribus traduntur. Singularum artium propria, quæ ducuntur ex proprijs principijs huius aut illius artis. Loci communes sunt: ex quibus nihilo magis in hac quam in qualibet alia arte argumenta depromi possunt: qualis est locus à maiori & à minori. Formæ sunt generales quædam enunciationes ad certū tantum aliquod genus accommodatæ. Vt in physicis: principia rerum esse contraria: omnem motionem in tempore fieri: leuia sursum tendere, grauia deorsum. Hæc oratoris non sunt, vt neq; dialectici, sed vt dialecticus locos quosdam communes habet, ex quibus ad omnem quæstionem argumēta depromit, alios proprios singulorum problematum in quibus versatur: vt ad genus, ad accidens (vtamur enim sanè hac voce: quando aliā æq; commodam reperire nō possumus) ad propriū ad finitionem aut cōfirmandum aut infirmandam: sic & orator quosdam locos habet cōmunes omnium generum

Quid exemplum

Enthymematis diuisio.

Qui loci communes dicātur.

Quæ formæ.

nerum rhetoricos: alios vniuscuiusque generis proprios: Illos Aristoteles, generis nomine, locos: hos formas vocat: ac sæpius tamen etiam de formis ipsis loquens, locorum nomine vtitur. Eas igitur formas, id est, locos vniuscuiusq; generis proprios, priore loco explicaturus, necesse habuit prius quæ quotque rhetorices genera essent exponere. Sunt autem tria, ostentatiuum, ita enim melius, quam, vt alij demonstratiuum, deliberatiuum, & iudiciale. Deliberatiuum suasione & dissuasione: iudiciale accusatione & defensione: ostentatiuum laude ac vituperatione continetur. Deliberatio de futuris: iudicium de præteritis instituitur: laus & vituperatio propria præsentium est. Fines proprij deliberationis, vtile aut noxium: iudicij æquum aut iniquum: laudis & vituperationum, honestas & turpitudo. Tenenda igitur est Oratori copia quædam communium sententiarum semper prompta ac parata, ex quibus argumēta ducat ad ostendendum aliquid esse vtile aut inutile, æquum aut iniquum: honestum aut turpe. Hæ sunt quas formas vocamus. Communes autem trium generum sunt loci, quibus confirmamus, fieri aliquid aut potuisse aut posse, aut contra: factum esse, aut factum non esse: fore aut non fore: magnum aut paruum esse, idq; tam simpliciter tum comparate. Atque hæc tum communiter tenenda sunt, tum propriè ad vnumquodque rhetorices genus accommodanda. His expositis genus deliberatiuum tractare ingressus est, vt omnium præstantissimum, & in quo cæteri antè ipsum minus elaborassent: Primum igitur ostendit, quo in genere rerum versetur omnis deliberatio; deindè autem omnes deliberationes publicas, eas enim præcipue spectabat, ad quinque præcipua

Rhetorices tria genera.

Fines generum Rhetorices

Cōmunes trium generum loci.

De genere deliberatiuo.

cipua capita reuocauit. Aut enim deliberari de ratione conficiendæ pecuniæ, quod præcipuum est instrumẽtum rerum gerendarum, quæq; nisi publicè suppetat, manca & mutila est omnis deliberatio: aut de bello & pace: aut de custodia regionis, aut de ijs quæ importanda quæq; exportanda sunt: aut de legibus ferendis. His quinq; capitibus omnis ferè publica deliberatio continetur. Docuit igitur, quæ ad vnumquodque eorum oratori videda essent. Quoniam autẽ omnis deliberatio refertur ad felicitatem aut ad partem aliquam felicitatis: idcirco de ea, deq; eius partibus varie ac copiose disseruit. deindè, quia deliberatio non de fine ipso est, sed de ijs per quæ ad finem peruenitur id est, de bonis & vtilibus, lõgè plurimos locos tradidit, ex quibus sumeremus argumẽta, quibus aliquid aut bonum atque vtile aut etiam alio melius atque vtilius esse ostenderemus. Idem postea ne longior sim in ostentatiuo & in iudiciali genere præstitit: omniaque subtilissimè persecutus est, ex quibus aliquid aut honestum, aut turpe, aut honestius; aut turpius: aut æquum, aut iniquum, aut æquius, aut iniquius esse colligi posset. At quoniam in iudicijs, non argumẽtis tantum vtimur, sed etiam legibus, testimonijs, conuentionibus, quæstionibus, iureiurando nitimur; eaq; omnia interdum à nobis faciunt, interdum etiã causæ nostræ inimica sunt: idcirco in extrema parte huius libri, quæ nunc explicanda nobis est, docet quomodo ijs quæ tormentis expressa sunt, quomodo iureiurando vim ac robur aut addere aut adimere debeamus. Vtilia præcepta & cognitu digna & oratorum iuriscõsultorumque communia, quæ cum absoluta erunt: sumam mihi oratiunculã aliquã Ciceronis, in qua vsum

Ad quid referatur delibera-tio.

aliquem horum præceptorum videre poßimus. Interea, paucorum enim dierum futurum negotium est, absoluam inceptam à me, vestra caussa, auditores, latinam int.rpretationem secundi horum librorum, eamq; diuulgabo: ne quis vestrum Græci sermonis ignoratione à cognoscendi Aristotelis præceptis absterreatur. Ac vobis quidem, adolescentes, vtcunq; satisfecisse me: neq; meam hanc disputationem vobis aut iniucundam aut inutilem fuisse confido. His autem magnis ac præstantibus viris, qui præsentia sua locum hunc cohonestare dignati, nihil ex me quod grauitate atq; amplitudine sua dignum esset, audire potuerunt: quam tandem referendæ gratiæ rationem inibimus? Pareamus potius Aristotelis præcepto, qui hoc ipso in libro de ijs quæ supra vires sunt ne cogitationem quidem suscipiendam monet, & multo plus eis non debere confeßi, quam exsoluere vlla ratione poßimus, hoc saltem eis referamus, ne eos à grauioribus negotijs quæ honoris nostri gratia, omiserunt, auocatos, diutius retineamus.

Cõclusio per excusationẽ.

ORATIO IX.

Explicaturus libros Aristotelis de Republica.

Habita Romæ Prid. Non. Nouemb. M.D.LXXXVII.

Exorditur à veterũ quin de animo opinione.

I*N reb. humanis nihil eße mente ac oratione præstãtius, nihil diuinus summo semper consensu sapientißimi homines iudicarunt. etiam veterum nonnulli cum expressam in ea diuinitatis imaginem cernerent, neque tantum ingenij acumine valerent*

rent

rent, vt exemplar ipſum & id quod ex eo ductum, quaſiq; effictum eſſet, diſcernere ac diiudicare poſſent, mentes noſtras ex diuina mente delibatas ac decerptas, ipſiuſq, rerum omnium opificis Dei particulas quaſdam eſſe dixerunt. At illi quidem & de hominibus nimis elatè, ac ſuperbè, & de Deo parum piè religioſeq; ſenſerunt: qui & homines Deo exequare conarentur, & non intelligerẽt, iſta diſtractio & dilaceratio quantopere aliena eſſet à natura omnium longè ſimpliciſsima, maximeq; vna: neq; viderent quantum in ſe impietatem ſuſciperent, qui ſi ſtultitiam ſuam pertinaciter tueri vellent, neceſſe haberet fateri partem aliquam Dei interdum & vitiorum maculis contaminari, & apud inferos pœnas luere ab ipſomet Deo improbitati & nequitiæ conſtitutas. Quæ vt cogitare ſummæ amentiæ atq; impietatis foret, ita illud ſine vlla dubitatione veriſsimum eſt, admirabilẽ quandam eſſe humanæ mentis præſtantiam: neq; in ijs omnibus quæ infra lunam ſunt, mente ac ratione ſuperius quidquam poſſe repeririri. Ea genus, humanũ cetera animalia ſuperat, eaſq; illis omnibus præeſt, quamuis alijs rebus ab eorum pleriſq; ſuperetur. Vincit hominem celeritate ceruus taurus robore, vtroque leo, neque quiſquam noſtram aut viſũ lyncas aquauerit, aut talpas auditu, aut odoratu canes: neq; tamen hæc obſtant quo minus & has, & alias animantes in poteſtatẽ noſtram perducamus, earumq; vel carnibus veſcamur, vel curio tegamur, vel eis ad varia miniſteria vtamur. Leones ipſos multi ad currum iunxerunt, quidam etiam eis tanquam mulis clitellarijs ad onera conuehẽda vſi eſſe dicuntur. Neq; tantum armatas cornibus, dẽtibus, vngulis feras è ſpeluncis.

Iam refellit.

Oſtendit homines mente ſuperare omnia animalia & ea ſibi ſubijcere.

luncis & latibulis suis extrahimus, sed maria ipsa scrutamur, sed elatas pennis in sublime volucres consequimur tamen & configimus, aut alijs artibus captas famulari cogimus aut voluptati, aut vtilitatibus nostris. Tanta vis ac potestas mẽtis est: tãtum in cætera omnia imperium rationi ac consilio à natura tributum est. Quin etiam ex omni hominum numero qui mente ac consilio ceteris antecelluerunt, ijs in omni ætate rerum summa permissa est, ijs habenæ concreditæ, ijs tradita gubernacula, ij supra ceteros quasi Deorum loco habiti: ij semper imperium in alios multo robustiores ac potẽtiores, ne ipsis quidem, dummodo ita esse crederent, repugnantibus, sed se etiam vltro subijcientibus exercuerunt. *Lycurgum quidem cum ingrederetur templum Apollinis Delphici, sacerdos quæ ei templo præerat, versibus quibusdam affata esse traditur, quibus ambigere se dicebat Deum ne illum an hominem appellaret, & eo tamẽ inclinare, ac propẽdere, vt Deum potius quam hominem esse arbitraretur. Neq; tamen aut ipse inter Lacedemonios, aut inter Athenienses Solon, aut inter Locrenses Zaleucus, aut eorum quisquam qui ciuibus suis leges tulisse memorantur, viribus corporis inter suos excelluerunt, sed vi mẽtis ac consilij illam sibi tantam auctoritatẽ potentiamq; pepererũt. Est hic admirabilis rerum ordo à præpotẽte Deo constitutus, vt quæ præstantiora sunt imperent, quæ deteriora seruiant. Præstant autem animata inanimis, sententia non sentientibus, mente prædita mente carentibus, & ex ijs ipsis quæ mente prædita sunt, vt cuiusq; mens perfectior est, ita in sui generis alia æterna quadam & immutabili natura ipsius lege dominatur. Vniuscuiusq; autem

Qui mente præstantiores sunt, cæteris præsunt & quasi dij habentur.

Declarat exemplis.

Recenset quænam in rebus humanis cæteris præstent.

rei

rei perfectio est sua cuiusq; virtus: quare & quæ virtus propria est mentis humanæ, eadem illius perfectio atq; absolutio est. Quam igitur humanæ mentis virtutem esse dicemus, aut quam illius reperiendæ rationem inibimus? Nēpè si oculi virtutum quæreremus, constitueremus ante omnia quodnam esset proprium opus oculi, quod munus, quæ functio: quo semel posito ac constituto, tum deindè, quæ oculi affectio caussa esset, vt oculus optimè suo munere fungeretur, eam affectionem virtutem esse oculi diceremus. Mētis opus est videre, cernere, intelligere, caussarum & eorum quæ fiunt ex caußis ordinem ac connexionem intueri. Sed eorum quæ mente perácernuntur, tria genera sunt: Vnum eorum quorum cognitione & intelligentia ita pascimur, vt in ea conquiescamus, neq; spectemus alio, alterum eorum, quæ ad actionem, tertium eorum quæ ad molitionem alicuius operis effectionemq; referuntur. Primi generis sunt quæ de primo rerum ortu ac principijs, de corporibus cœlestibus de caußis imbrium, ventorum, grandinum eiusdemq; generis alijs à philosophis disputantur. Ad actionē pertinent quæ de instituenda vita conformandisque moribus, de omni genere officij, de virtutibus deniq; ac vitijs disseruntur. Ad operum autem effectionem, quæ fabrorum, architectorum, fusorum, pictorum, statuariorum & talium opificum præceptis continentur. Sed qui se homines sublimium & abditarum rerū tractationi dediderunt, omnemq; vim ingenij ad earum peruestigationem contulerunt, eos admirantur quidem ceteri vt magnos & sapientes viros, neq; tamen se propterea illis regendos, gubernandosq; permittunt. Neq; quisquam ex omni memoria reperietur, ad quem ciues

Modum ostendit inuestigandi mentis virtutem à simili.

Quænam mentis opera.

Eorum diuisio.

Quæ ad 1. genus pertineant.

Quæ ad 2.

Quæ ad 3.

sui, quod eximius geometra esset, aut astrologus, aut physicus, imperium detulisse dicantur. Multoq; minus artificibus habetur ijs honos, qui quẽlibet in suo genere excellant, si tamen nihil aliud habeant quod in censum deferant, in sordidissima ciuitatis parte numerãtur. Ac sæpè opera potius miramur quam artifices ipsos vt Doryphorum, quam Policletum, Iouem Olympium quam Phidiam. Sciteque & sapienter Plutarchus. Si quis, inquit, honeste ac liberaliter educatus adolescens aut tabulam aut signum egregij operis inspiciat, mirabitur ille quidem & commendabit operis elegantiam, sed nunquam tamen illius pictoris aut statuarij, cuius id opus esse dicitur similem esse se optabit. At si aliquã Demosthenis orationem, aut aliquem Platonis dialogum legat, multoq; magis si Cimonis, Miltiadis, Themistoclis res gestas audiat, non tantum admirabitur talium operum pulchritudinem, sed omnibus votis optabit se eorum, qui illa scripserunt, gesseruntue: quam simillimum esse. Quod si & aliqua mentis virtus est, qua hominẽ efficit aptum ad imperandum, & ea laus neq; ijs quæ in sublimium rerũ tractatione ita defixæ sunt vt se nunquam ad hæc inferiora demittant, neq; ijs quæ in opere faciendo occupata tribui potest, restat, vt prudẽtiæ quæ actiones hominum dirigit, rerum humanarum rectio ac procuratio debeatur. Recte igitur principes Philosophorum Plato & Aristoteles prudẽtiam imperantum propriam esse dixerunt. Sed prudẽtiæ tripartita vis est. Alia enim eius præcepta docet, quomodo quis vitam suã priuatim instituere debeat, alia ad rationem administrandæ rei familiaris pertinet, alia ad regendas ac temperandas ciuitates. Hæc autem

Ostendit artificib. licet excellentibus imperia non committe.

Prudentia hominem ad imperandum aptum offi. cit.

Confirmat auctoritate prudentiæ diuisio.

ad vnum eundemq́ finem omnia diriguntur, id est, ad felicitatẽ. Sed interdum agitur de felicitate vnius hominis interdum quomodo id ipsum bonum toti familiæ comparetur: interdum quomodo ciuitati. Semper autem partes referuntur ad totum: neq́ aliam ob caussam bene esse huic aut illi parti cupimus, quam vt bene sit etiam toti. Totum enim parte aliqua carere potest: at toto sublato vna interire partes omnes necesse est.* Ex quo fit, vt singulorum felicitas referatur ad felicitatẽ totius familiæ: familiarum ad felicitatem totius ciuitatis: Quam enim rationem habet vnus, ex familia ad familiam, eandem habet familia ad ciuitatẽ. Quando igitur vniuersæ ciuitatis bonum vnius aut ciuis, aut familiæ bono superius est, tanto politice, ita enim eam græco quidem, sed quod iampridem ius togæ impetrauit, vocabulo nominant, ceteris prudentiæ partibus antecellit. Ac libros quidem Ethicorum Aristotelis ad Nicomachum, quibus ea quæ ad singulos pertinẽt eruditißime & copiosißime explicata continentur, interpretari cœpi hac ipsa in schola quatuordecim ab hinc annis.* Iuuatq́ me memoria repetere tempus illud, cùm tanti ad me concursus fierent, quanti multis annis antea ad neminem facti erant: cùm tanta quotidie multitudo conflueret, vt eam locus ipse vix caperet: eaq́ non adolescentium modo discendi cupidorum, quorum nonnulli multo facti meliores magistro, quæ tunc ex me didiscebant, ipsi hodie alios docent: nonnulli etiam ad magnas reipublicæ partes admoti quæ tunc audiebant, ea nunc re ac factis exsequuntur, sed & senum primæ auctoritatis summæq́ eruditionis, qui & præsentia sua cohonestabant disputationes meas, & exemplo suo iuuenum

A minori ad maius.

digressio

uenum animos ad honestarum artium studium excitabant. Neq; hæc gloriandi causa dico: sed quod magno cum animi mei dolore videam quantopere conuersa ac commutata sit rerũ facies, cum ita refrixerit ac relanguerit in hac quidẽ Vrbe impetus hominũ ad hæc studia, vt nisi Deus labentibus & ad interitum vergentib. literis opis aliquid attulerit summa omnium bonarum artium ignoratio breui tempore cõsecutura videatur. Quid enim est, cur quisquam meliora sperare, aut cur nõ etiam grauiora metuere debeat? Negligitur lingua Latina, quæ patrum ac nostra etiam memoria ita florebat, vt nusquã propemodum homines nisi Romæ benè Latinè aut loqui aut scribere putarẽtur. * Græca, cuius discendæ causa vir sempiterna laude dignißimus Petrus Bembus cum adhuc adolescens esset, in Siciliam profectus est, quod ibi meliores illius magistros esse audierat: cum multi illis temporib. eadem de causa vsq; in Græciam proficiscerentur, cuius in hac vrbe conseruandæ aut potius conserendæ gratia Leo X. cuius nomen apud omnes literarum amantes in perpetua veneratione esse debet, ex vltima Græcia accersiuit huc homines eruditißimos, & lectam ingeniosorum adolescentum manum: Græca inquam lingua omnis elegãtiæ magistra, *omniũ ingenuarum ac liberalium artium parens, altrix, conseruatrix, ita iam iacet, ac sordet, vt qui eam docent soli prope in scholis relinquantur. Stulti adolescentes Latinæ linguæ vix primis elementis vtcumque perceptis, Græca ne salutata quidem, aut statim valere iussa: ad iuris prudentiam aut ad medendi artem properant, illic tantum gloriæ, illic diuitiarum certißimã spem propositam dictitantes. Stultiores liberis patres vltro

Contrapositum.

Excurrit in laudes linguæ Græcæ.

Gradatio.

vltro adiuuant præproperam & inconsultam filiorum cupiditatem, quasi verentes ne quando penuria sit in ciuitate hominum, qui aut lites aut morbos serant: & aut ægrotos remedijs, aut formalis ac cautionibus patrimonia iugulent. Oppugnantur interea literæ à non vnius generis hostibus: quorum alij aperto Marte eas insectantur: alij cuniculis, cum aliud agere se simulent, earum extinctionem ac disperditionem moliuntur. Sed omittamus hæc, quæ nullius oratione satis dolenter deplorari queunt: referamq́; me ad propositum à quo me rei ad vos, adolescentes, maximè pertinētis recordatio longius fortasse quàm par erat abduxit. Interpretatus sum, vt dixi, iampridem libros ethicorum: nunc autē libros Politicorum, qui cum illis continuati ac connexi sunt, quantū vires meæ ferent illustrare, vobisq́; ad eos intelligendos quasi facem præferre decreui. In eis summus Philosophus ea quidem quæ ad rationem rei domesticæ pertinent modicè delibauit, quæ autem ad Rempublicam, vberrime ac copiosissime persecutus est. Summam totius operis breuiter: vt soleo, exponere in animo erat: sed vt dici tempus est, si vos diutius detinere perrexero, obstrepetis. In crastinum igitur differam, iamq́; finem dicēdi faciam: si prius quædam quæ prætermittere non possum, quanta maxima potero breuitate perstrinxero. Deum hominesq́; testor, auditores, me omnia sedulo facere; neque labori ac vigilijs parcere, neque interdum ipsius valetudinis rationem habere, vt vestris vtilitatibus seruiam. Voculas hominum aut maleuolorum, aut quid dicant non satis intelligētium, qui meam docendi rationem calumniantur, vellentque me tempus consumere in quibusdam puerilib. inep-

Metaphora. Transitio à digressione ad propositum. Quid dicturus.

Captatio beneuolētiæ à breuitate vbi diu se & aduersarijs agit.

ineptijs quibus triuialium ludi magistrorum scholæ assidue personant, facile contemno. τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ *ait nescio quis apud Aristophanum. Et habeo non subscriptores atque adstipulatores, sed auctores potius huius sententiæ meæ eos viros, quorum auctoritate tutus totum istud sermonum genus non extimesco. Propono vobis grauissimorum scriporum libros vtilissimos, & aptissimos ad veram & solidam laudẽ eloquentiæ comparandam. In eis tractandis & explicandis ita versor: nolo quidquã* φορτικώτερον *dicere: sed ita certe, vt de toto isto allatratorum genere dicere audeã.* Μωρήσεται τις μᾶλλον ἢ μιμήσεται. *Qui libros Rhetoricorũ ad Herennium, aut aliquam Ciceronis orationem exponere, & in generibus ac statibus causarum, & in figuris ac tropis iudicandis* μειρακιεύεσθαι *possint nũquam vobis defuturi sunt: qui ea præstare, quæ nos aut præstamus, aut præstare conamur, non semper adfuturi. Ego, ne quid, quod mearum partiũ sit, à me desiderari possit, operã dabo. Vos cogitate id, quod apud Hippocratem scriptum est: Non satis esse ad morbos sanandos, si medicus recte ac diligenter munus suum obeat, nisi & ab ægroto ipso, & ab eis qui ei adsident, communi opera ac diligentia medici conatus adiuuentur.*

A simili auditores ad diligẽtiam hortatur.

ORATIO X.

Interpretaturus C. Salustium de Catilinæ coniuratione.

Habita Romæ III. Non. Nouemb. M.D.LXXIIX.

ADVE-

ADVENIT tandem illud vobis quoque, vt opinor Auditores, sed mihi certe exoptatissimũ tempus, quo diu iam intermissas exercitationes nostras & studia: * haud facili dixerim, honestatis an suauitatis pleniora repetamus. † Iuuat hanc mihi circumfusam, incensam ac flagrantem siti bonarũ artium, cupidam veræ ac solidæ laudis & gloriæ, ore ipso atq; oculis omnia me summa sperare de alacritate & industria sua iubentem lectissimorum adolescentũ coronam intueri: iuuat adspici: iuuat audiri: iuuat in talibus ingenijs excolendis quidquid ingrauescens ætas viriũ reliquerit collocare. An Agricolæ cùm teneras arbores à se cultas ad iustam sese proceritatem paulatim attollentes vident, efferuntur gaudio: pastoris pectoris gregis sibi commissi lætitiam ac fecunditatem intuentis tacita voluptate perfunditur: qui alumnos suos vigentes ac florentes adspiciunt, afficiũtur intimis sensibus, & iuuentutem illorũ, suam quodammodo iuuentutem esse ducentes excussa senectute recalescunt: Ego adolescentes optimi è vestro in literis profectu ac progressu nõ idem mihi vsuuenire fatear? Neq; mihi sane dubium est, quin plerisq; vestrum quadrimestre illud tempus, quod nobis, quotannis, ex vetere instituto solutũ ac liberum conceditur, iusto lõgius visum sit: iis nimirũ, quibus amor virtutis ac literarum in visceribus ac medullis defixus insedit, quibus cor saucium est cœlestis illius Cupidinis sagitta:

dubitatio

Translatio cum repetitione.

Similia.

Quod tetigit ictu certus ad ossa Deus:

vt Vmber Poeta loquitur. Quam sæpe eorum vnumquemq; credibile est secum in animo Horatiana illa reputasse.

Vt nox longa quibus mentitur amica: diesque
Longa videtur opus debentibus: vt piger annus
Pupillis quos dura premit custodia matrum:
Sic mihi tarda fluunt, ingrataq; tempora, quæ spē,
Consiliumq; morantur agendi gnauiter.

Macti este animo ac virtute iuuenes quibuscumque sæpe in mentem ista venerunt: quibus iucunda industria est, odiosa cessatio, * *quibus labori quies est, labor quieti: qui tum denique vita ac spiritu frui vobis videmini cum in literis tempus omne consumitis, qui eo estis animorum ardore, vt in illa directa & ardua, vt ait Hesiodus, ad virtutem via nusquam strigare, nusquam interiungere: sed eam vno tempore ac spiritu totam, si fieri posset exhaurire ac superare cuperetis. Hac via veteres illi, quos admiramur ac suspicimus sapientiæ proceres, vulgo sese exemerāt: hac se supra cæteros mortales extulerunt: hac gradientes non modo floruerunt inter æquales suos, sed in omnem posteritatem nomen sibi ac decus immortale pepererunt. Cuius autem ignauia fuerit, eos quidem, vt magnos quosdam, ac præstātes viros, laudare ac deprædicare: & tamen torpere ac marcescere otio malle, quam vt eorum similes euadamus, operam dare? Non est eiusdem animi industriam laudare & otium amplecti, non serio laudat, qui non & concupiscit: non ex animo admiratur, qui non & imitatur. At bene, quod ex isto numero multi non otiosi veterum laudatores, sed strenui potius imitatores non tam ad præclara studia cohortandi estis, quam exemplo vestro excitare ipsi alio ac cohortari potestis: Itaque pro certo habeo totum id tempus, quo nobis huc per calores cōuenire non licuit, non tamen à vobis languori*

Contrapositum.

Anaphora.

Non tantum viros doctos laudare, sed & eos imitari docet.

guori ac desidiæ datum, sed quatenus licuit, earum ipsum artium, quarum amore flagratis, vmbratili ac domestica exercitatione traductũ. Sic agricolæ, vbi tẽpestates malæ sunt, cum opus fieri non potest, sub tecto tamẽ quid agant reperiunt: ac ne ipsos quidem festos dies sibi prorsus inutiles effluere patiuntur. Sic milites, vbi eos horrifer aquilonis stridor in hyberna cõpulsos à bellicis muneribus auocauit, quotidie tamen aut cursu, aut saltu, aut ad palum exercentur, aut fictis inter se præliorum imaginibus dimicant, aut gladios acuunt, aut arma poliunt, quæ deniq; in bello vsui futura sunt, eo omnia in pace meditãtur. Quod ego vt mihi de vobis polliceri audeo, ita vobis de me plane confirmare possum: neq; enim mihi minus otiosa vlla pars anni fuit, quam quæ ad quietẽ concessa videbatur. Libuit mihi istorum potentũ consuetudinẽ imitari, & tentare, nũ, quas illis æstatis tempore voluptates diuitiarũ suarũ magnitudo præstat, easdẽ mihi in re curta ac tenui studia mea suppeditare possent. Igitur vt illi ea tempestate anni montosa & altiora loca & saltuum ac nemorum capacitatem cõsectãtur: Sic & ego Heliconios colles & auia Pieridum loca peragrans, æstum ambitionis auaritiæq; vitabã: vt illi ad fontium aut fluminum capita strati, cãtibus auicularum animum oblectant, sic & ego ad illos sacros & vulgo ignotos fontes, ex quibus omnis elegantia omnisq; humanitas in vitam hominum fluxit, molliter cõpositus ex illo ambrosio veterum Poetarum cantu incredibilem animi voluptatẽ hauriebam: vt illi venatu aucupione intenti prædas adunt, quibus mensam instructiorẽ faciant: sic & ego quibus mentem instruerem, è sapientissimorum hominum monumẽtis quotidie accupabar. O studia nostra, Auditores, nõ vtilia tãtum ac fructuo-

Simile ab agricolis.

Aliud à militibus.

Allusio ad consuetudinem diuitum æstiuo tempore.

Exclamatio.

Qua ratione Per-

rum Reges annum transigebant.

sa, sed dulcia etiam ac delicata. Persarum reges qui vt opibus ac diuitijs affluebant, ita luxu ac delicijs diffluebant, voluptatis causa, ita diuidebant annum vt hyemem Babylone, vel Susis, in Media æstatē agerēt. Quid in studia nostra eandem nobis honeste luxuriandi facultatem ac copiam præbeant. Ex meo propinquo rure ait Terentianus Laches, hoc capio commodi.*

Ostendit qua ratione satietas in studijs sit vitanda.

Neq; agri, neq; vrbis odium me vnquam percipit.
Vbi satias cœpit fieri, commuto locum.

Idē in studijs licet Graui & seuera Philosophorum lectione defessus animus est? Poeticorum lusuum inuoluta fabellis, & condita omnibus leporibus sapientiæ præcepta continentium amœnitate recreetur. Solidius aliquod & succi plenus cibi genus requirit? Ex illo copiosissimo ac locupletißimo veterum Oratorum penore omnia nō pascendis modo, sed etiā saginandis animis apta depromat. Ingurgitet se in historiam veterem: omnem superioris æui memoriā mente ac cogitatione perlustret indulgeat arbitratu suo illi voluptati, quæ infinita & insatiabilis ex antiquitatis cognitione percipitur. Aliarum voluptatum habendus modus est, huic nimis indulgeri non potest.† Atq; equidem, Auditores, quoniā humanus animus varietate capitur: omniumq; prope rerum vt ait Euripides iucunda mutatio est, decreui hoc anno aliquid vobis huius suauitatis impertiri, & intermissa paulisper Philosophiæ seueritate, nobilißimi inter Latinos historiarū scriptoris lectione vos pascere. Quod consilium tum deniq; sine vlla dubitatione probabitis, cum ex quo fonte manauerit intelligetis. Superioribus diebus, cum ad illud non amplißimi tantum ordinis, sed huius ætatis singulare lumē ac decus Gulielmum Sirletum Cardinalem venissem, cœpit ille me, vt solet, de studijs

Trãslatio.

Cur Historiam explicandam assumpserit.

dijs meis humanißime interrogare. Cui cum pauca pro tempore respondissem, procedente sermone, quæsijt etiã ex me, quid vobis hoc anno proponere atque explicare meditarer. Respondi me, in ipsius potestate & semper fuisse & semper fore: & hac quoq; in re totum ex ipsius nutu atq; auctoritate pendere: atq; id demum mihi factũ optimum atq; vtilißimũ visum iri, quod ipso auctore, & tanquam auspice gereretur. Tum ille. Quando inquit superioris anni cirriculũ in Aristotelis politicis cõsumpsisti, non alienum fuerit hoc anno aliquid paulo leuioris operæ assumere: Nam neq; omnes ij, quorũ te commodis seruire oportet, capaces sunt tam arduarum disputationum: & à plerisque impetrari non potest, vt Græcas literas ament: & sunt qui anni principio, ad dimidiatos libros, tanquam ad delibatas ab alijs ac prope semesas epulas non libenter accedant. Quare auctor tibi sum, vt aliquẽ historicum sumas: ac, si me audis, non alium potius, quam Sallustium. Nam & egregiè latine loquitur, & grauis ac densus est & ciuilis sapientiæ plenus, & quod tu quanti facias scio, Thucydideus: & vt exiguus liber est, paucis illum mẽsibus totum explicare facile poteris. Ego verò, inquam, libentißimè parebo auctoritati tuæ: neq; vnquam cõmittam, vt quacũq; de re sententiã tuã cognouero, de ea mihi amplius quærendũ ac dubitandũ putẽ. Quod igitur faustum felixq; sit, de summi in omni genere laudandarũ artiũ viri, & nostrũ omniũ amantißimi sententiæ euoluemus & excutiemus vnà hoc anno Auditores Sallustiũ hoc est eum scriptorẽ cui antiquitas historiæ Romanæ detulit principatũ: ad quẽ cognoscendũ, si vos parẽ meæ industriã ac diligentiã adferetis, magnã vim ex eius scriptis, cũ Deo volente, & eloquẽtiæ & sapiẽtiæ præceptorũ colligemus. Duo deinceps dictu-rus.

Sed imprimis pauca quædam de historia in genere pauca de Salustio dicam, quæ instituto nostro nõ inutiliter præfulcianturac præmuniantur. * *Ac de historia quidẽ hæc primum quid sit historia, deinde quã pulchra, quã iucunda, quãq; vtilis sit historiarum cognitio. Tũ quæ sint historiæ leges. Postremo in historiarum lectione versantibus quæ potißimum obseruanda sint: & quomodo in ea re à plerisq; peccetur. Cornificius, seu quis alius est, scripsit libros Rhetoricorum ad Herennium, itemque Cicero ipse libro primo de inuentione ita historiam definiunt. Historia est res gesta, sed ab ætatis nostræ memoria remota. In hac definitione, quot verba totidem prope peccata sunt. Primum historia non est res gesta: sed rei gestæ expositio ac narratio. Non enim ipsa coniuratio Catilinæ aut bellum ipsum Iugurthinum historia est: neq; hoc ipsi dicere voluerunt: sed id quod sentiebant non satis commode elocuti sunt. Itaq; condonetur hoc negligentiæ ipsorum: etsi nemo in rebus definiendis negligens esse debet.* * *Sed quod addiderunt, historiã non esse, nisi quæ ab ætatis nostræ memoria remota sit, cuius quæso amentiæ est: Ergo si quis hodie de Romulo & Remo scribat, fatebimur eum historiam scribere: si de bellis inter Carolum V. & Franciscum I. gestis, negabimus: quoniam hæc nondum ab ætatis nostræ memoria remota sunt; aut certè dicemus, nõdum historias esse tunc demum fore, cum qui earum rerum meminerit, nemo amplius reperietur. Quomodo fiet, vt ipse quidem hodie historiam non scribat, qui autem ab hinc centũ annis scripta eius legent, historiã legãt. Neq; Thucydides hac ratione historiã scripserit; neq; Xenophon in libris anabaseos, aut in libris rerũ Græcarũ: neq; Salustius, cum cõiurationem Catilinæ, aut cum bellũ Iugurthinum scriberet.*

De historia in genere.

Definitio historiæ secundum Ciceronẽ.

Refutatur definitio

Secundam definitionis partem refellit.

beret Liuius quoque quamdiu vetusta persecutus est, historiam scripsisse dicetur: at postremis libris, quib. complexus erat, res suis temporibus gestas, historiam videlicet desierat scribere: Sed nolo pluribus verbis exagitare tam fatuam definitionem; nec mentionem quidē illius vllam fecissem nisi scirem eā etiam hodie defensores habere. Longe aliter sentiebant quidam olim eruditi homines, quos Verrius Flaccus refert putasse, historiā propriè dici narrationem earum rerum quib. gerendis, is qui eas narraret interfuisset. Quos quamuis non sequor, neque enim pauciora aut leuiora incommoda hanc quam illā definitionem sequuntur; tolerabiliorem tamen illorum errorem esse arbitror. Quomodo igitur historiam definiemus? Iniustè enim reprehendit aliena, qui meliora non profert. Historiæ nomen, auditores non tantum rerum gestarum, sed quarumlibet rerum narrationem expositionemq; significat. Sic Aristoteles eos libros, quibus ingenia & naturas animalium persecutus est, vocauit historiam animaliū: Sic Theophrastus historiā stirpium: sic deniq; C. Plinius libros suos naturalis historiæ inscripsit. Quibus libris caussæ ac principia rerum exquiruntur: aut alicuius disciplinæ præcepta traduntur: nunquam eos quisquam rectè historiam vocauerit. At vbi narratur tantum aliquid atq; exponitur: rectè id scriptorum genus historiam nominaris. Itaq; liber quidam qui Galeno tribuitur, neque tamen ipsius est quo veterum philosophorum vnaquaq; de re sententiæ exponuntur tantum, non etiam expenduntur; rectè inscribitur φιλοσόφου ἱστορίας. Eodemq; nomine affici possent libri eiusdē argumenti, qui falso tribuuntur Plutarcho περὶ τῶν ἀρεσκόντων τοῖς φιλοσόφοις. Ad libros physicorum, aut ethicorum, aut eiusmodi alios si quis historiam vocaret,

Alia historiæ definitio.

Quid significat historia.

caret, malè & inscienter historiæ nomine vteretur. Nã illud quoq; intelligẽdum est, quod de totis aliquo genere vniuerse scribitur, historiam non vocari: nisi particulatim ad singula veniatur. Atq; hæc cum ita sint: historiæ tamen nomen in hac disputatione non tam latè accipimus sed vim illius angustioribus terminis concludentes, ita definiendam historiam putamus. Historia est rerum publicè gestarum diffusa & continuata narratio. Neq; quidquã interesse arbitramur, ad hoc quidẽ vt historia sit, sint ne res illæ remotæ ab ætatis nostræ memoria an minus: & num ijs, qui eas scribit, eis interfuerit, an non interfuerit: scripsit Herodotus de rebus à memoria ætatis suæ remotis: & historiam scripsit: scripsit Thucydides de bello cui ipse interfuerat: scripsit Xenophon de reditu Græcorum ex Asia, cui nõ interfuerat modo, sed & præfuerat: & vterq; historiam scripsit. Si quis dicat, ad fidẽ & auctoritatẽ historiæ conciliandam interesse, scribat quis ea quæ ipse viderit ac cognouerit, an quæ ab alijs tradita acceperit, non negabo: si, vt verè ac propriè historia sit, horum vtrumlibet requiri dixerit, pernegabo. Nunc singulas propositæ definitionis partes minutatim consideremus. Historia est narratio rerum gestarum. Omnes igitur fabulæ excluduntur. Neque enim continent res gestas, sed ad eius qui scripsit, libidinem fictas. Itaque neque Luciani libros verarum, vt ipse ludens vocat, narrationum, neque AEthiopica Heliodori, aut Poemenica Longi aut eius generis scripta, historias esse dicemus. Non magis quàm Heraclydæ Abarin, aut Aristonis Lyconem. Ne Xenophontis quidem libros Κύρου παιδείας pro historia acceperim: tum ob alias causas: tum quia in eis non tã curæ fuit sapientißimo ac disertißimo scriptori, vt res à Cyro gestas exponeret, quam

Authoris definitio historia.

Occurrit obiectioni.

Fabulæ ab Historia excluduntur.

vt nobis exempla regis omni ex parte perfecti proponeret. Est ne igitur omnis vera narratio historia? Minime sed ea tantum, quæ est rerum publicè gestarum. Non enim oratorias narrationes, etiam si veræ sint historias vocabimus: neque illa Ciceronis. Milo domum venit, calceos ac vestimenta mutauit: paulisper, vt fit, dum se vxor comparat, commoratus est: aut similia ad historiam pertinere censebimus. Neq; Philostratus cum vitam Appollonij aut Sophistarum, neq; Laertius aut Hesychius cum vitas philosophorum: neque Plutarchus, Suetonius, AEmilius, Probus, Aelianus, Lampridius, Capitolinus cum vitas Imperatorum aut aliorũ virorum illustrium scribẽs historiam scripsisse iudicandi sunt. Aliud est enim vitas scribere aliud historiam. Qui vitam alicuius scribit, qualis quisque domi fuerit, qualis in vxorẽ, qualis in liberos, in familiares, in hospites: quo victu ac cultu corporis vsus sit, accuratè ac diligenter exponit: qui historiam, hæc omnia aut prætermittit aut in accessionis loco, quasi aliud agens, strictum & modicé attingit: ea tãtum ex instituto persequitur, quæ ad publicum pertinent. Hoc Plutarchus ipsemet docet, qui etiam cum virorum illustrium vitas scribit, negat se historiã scribere. Verba ipsius proferã ne quis dubitationi relinquatur locus. οὔτε γὰρ ἱστορίας γράφομεν ἀλλὰ βίους· οὔτε ταῖς ἐπιφανεστάταις πράξεσι πάντως ἔνεστι δήλωσις ἀρετῆς ἢ κακίας. ἀλλὰ πολλάκις καὶ ῥῆμα καὶ παιδιάλις ἔμφασιν ἤθους ἐποίησεν μᾶλλον, ἢ μάχαι μυριόνεκροι, καὶ παρατάξεις αἱ μέγισαι καὶ πολιορκίαι πόλεων. Neque enim historias, inquit, scribimus, sed vitas, neque vt quæque nobilissima actio est, ita maxime virtutem aut improbitatem cuiusque patefacit: immo verò sæpè & verbum vnum, & iocus aliquis magis de clarauit, qui cuiusque mores essent, quam

No omnis vera narratio est Historia.

Distinctio inter vitam scribere & historiam.

Quæ historiæ materia.

pugnæ in quibus decẽ hominum millia ceciderunt, maximaq́; prælia & verbum obsidiones. Videtis igitur quæ sit quasi seges ac materia historiæ propria: bella, paces, induciæ, federa, seditiones, tumultus, leges, iudicia, commutationes Rerumpublicarum, & quæ sunt eisdem generis: qualia apud Herodotum, Thucydidem, Xenophontem, Polybium, Dionysium Halicarnasseum, Sallustium, Liuium, Diodorum Siculum, Cornelium Tacitum, Appianum, Ammianum, Marcellinum, Dionem Cocceium, & eiusmodi alios leguntur: quos verè ac merito possumus historiarum scriptores nominare. At tonderi diligenter ac radi, aut velli etiam solitum Cæsarem, & semper cingi supra latum clauum & Octauianum mense Decembri totos dies talis lusisse, & similia, eius sunt qui vitam alicuius, non qui historiam scribat. Addidi in definitione historiæ, eam esse non narrationem modo sed diffusam & continuatam narrationem, id est, διεξοδικὴν καὶ συνεχῆ. Diffusam quidem: quoniam qui summa capita rerum colligunt: eaq́; nude ac simpliciter proponunt. vt Florus, Eutropius, Orosius, Sulpicius, non tam historias scibere dicendi sunt, quam summaria quædam, aut, vt vetustiores loquebantur, breuiaria historiarum. Continuatam autem, vt Valerium Maximum, & alios eius exemplum secutos ab historicorum numero excluderem, longè enim aliud est historiã scribere aliud exempla similia ex historiis collecta, sub vno quod illi fecerunt aspectu ponere. Probasse me vobis arbitror quod principio posuerã historiam esse verum publicè gestarum diffusam & continuatam narrationem.

Conclusio.

Cætera de quibus dicere institueram: Sũt autem hæc de legibus in historia seruandis, de pulchritudine, suauitate, vtilitate historiæ, tum quid præcipuè obseruare debeant

debeant, qui historias legunt: ea igitur & de ipso Salustio quædam cognitu digna ne & vobis molestiæ & alijs impedimento sim, in crastinum differentur.

Non dubito L.C.V.P. quin quicunque te huc honoris mei caussa venisse vident, & humanitatem erga me tuã admirentur, & me tibi plurimum eo nomine debere arbitrentur. Ego autem ingenue fateor, nihilo me tibi propterea esse quam antea fueram, deuinctiorem. Cui enim omnia debeo, quid ei iam debere amplius possim? Quare ne illud quidem mihi curandum puto, vt tibi exquisito aliquo orationis genere gratias agam Ista faciant qui se accepta beneficia verbis exæquare posse confidunt: Mihi iam pridem adempta ac præcisa spes omnis est quidquam excogitandi, quod tuis erga me innumerabilibus meritis vlla ex parte respondeat.

ORATIO XI.

Cum explanaturus esset Æneida virgilij.

Habita Romæ III. Non. Nouemb. M.D.Lxxx.

VT in reliquis vitæ partibus sic in studijs & in ratione dicendi plerumque contingit, vt iuuenes quidẽ nitida & ad pompam atq; ostẽtationem accommodata: senes autẽ vtilia magis & fructuosa delectent. Itaq; Ego qui olim florenti ætati omnes lepores festiuitatesq; dicendi, quantum quidem in me situm erat, summo studio aucupabar; & pectere ac comere cũ cura orationẽ solebam, nunc vt ætate ita cõsilio commutato, profutura potius quam oblectatura consector: neque tam id operam do, vt ab iis, qui ad me audiendum conueniunt, disertus habear, quam vt ipsi aliqua re bona & digna cognitu domum redeant. au-

Exorditur, ab eo quod senium rẽ magis quã verba sectari iubebat. Trãslatio.

ctiores. Et hoc quoque tamen ipsum voluptati vobis esse confido. Neque enim vere nouo segetis herbescentis viriditas, quam adulta æstate flauescentis & falcem vocantis maturitas; neq; arborum inprimos sese flores induentium, quam opibus suis laborantium, & earum pondere incuruescentium magis nos adspectus oblectat.

A simili.

Propositio

Nunc igitur Aeneidos Virgilianæ interpretationem ingressurus, poematis non tantum inter omnia latina sine vlla dubitatione præstantissimi, sed etiam Græciæ gloriam in magnum discrimen vocantis, omittam multa, quæ aptè ad plausus & clamores excitandos in hoc argumento dici posse, facile intelligo: conuertamq; orationem meam ad quarundam rerum tractationem, quas spes est neque nimis communes ac contritas, neque alienas ab hoc instituto, neque cognitu inutiles

Partitio.

iudicatum iri. Dicam enim de poetices ipsius natura primum & antiquitate: tum suauitate, & quid sit, quod eam tantopere suauem efficiat, quasque illa hominum generi vtilitates & attulerit & perpetuo adferat: deinde quasdam Aristoteles de poesi ac poetis sententias, quæ propter ipsius auctoritatem in omnium fere iam animis insederunt, tentabo & ad disquisitionem vocabo, *postremo cum & de Virgilio ipso, & de hoc quod nobis in manibus est, eius poemate pauca quadam ad ipsius dignitatem ac commendationem pertinentia protulero, mittam concionem, neque committam, vt nimia longitudine aut vobis molestiæ, sim, aut alijs, qui post me in hunc locum conscensuri sunt, impedimento. Poeticam veteres, vt hinc exordiar, nō tam artem esse, quam incitationem quandam animi, & furorem diuinitus immissum, qualis est in vaticinantibus, iudicarunt. Quod ita expreßit Cicero pro Archia.

Capitatio beneuolē-tiæ & at-tentionis à breuitate.

Poetis ars & furor diuinitus immissus.

Probatio authoritate.

sic

sic à summis hominib. eruditißimisq́; accepimus, cæterarũ rerum studia & doctrina & præceptis & arte cõstare: poetã natura ipsa valere mẽtis virib. excitari, & quasi diuino quodã spiritu afflari, & apud eundem Antonius li. 2. de oratore hoc ipsum à Democrito & à Platone in scriptis relictum esse dicit. Ac de Democrito quidem aliis credamus necesse est: cum ipsius scripta perierint: apud Platonem autẽ ita multis locis hoc dicitur, vt putidum sit eos accuratius percensere. Sed & poetæ ipsi hoc de se profitentur ac prædicant: quorum sunt illa;

Est Deus in nobis: agitante calescimus illo,
Sedibus ætherijs spiritus ille venit.

multaque ad eundem modũ, & Pindarus eo se Bacchilidi anteponit, quod ipse quidẽ natura valeat, Bacchilides arte subnixius temere multa profundat: itaq; tantũ interesse inter se & illum, quantum inter aquilam & ceruos gloriatur. Neq; aut mons ille duplici vertice insignis aut fons, cuius haustu, poetas fieri aiunt quidquam aliud indicant, quam eos non arte & industria, sed diuino quodam spiritu & instinctu valere. Et certe præstantißimi poetarum, Orpheus, Linus, Musæus, & ille omnium parens Homerus multis ante sæculis extiterunt, quam vlla præcepta poetices tradita eßent. *Sed tamẽ si natura tantum & ingenij, nõ artis & industriæ poetica est, quod summus philosophus Aristotelis libros tres de arte poetica scripsit? quod optimi poetæ Horatij libellus eodẽ argumento scriptus manib. teritur? quod, vt cæterarum, ita huius quoq; facultatis præcepta quotidie ab hominibus eruditißimis summo studio tractari videmus? An illud verius est, vt in oratore, sic in poeta, qui oratori affinis quodammodo & in dißimili genere simillimus est, & natura atq; ingenij præstantiam & artem

Obiectio.

Responsio per interrogationẽ.

tem

tem, præterea quandam ac præceptorum obseruationem requiri? Ita quidē certe sentit Horatius, cuius illa sunt,

Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quæsitum est, ego nec studium sine diuite vena,
Nec rude quid prosit video ingenium; alterius sic
Altera poscit opem res, & coniurat amice.

Fatendum tamen fortaßis est: plus in poeta ingenium, plus in oratore industriam posse. Sed vt Physici aiunt, res è multis ac diuersis elementis conflatas atq; cōcretas ex eo nominari, quod in quaq; dominetur sic veteres illi cum in poetis illū animi ardorem plurimū posse, quasiq; principatum obtinere; curam autem & industriā subsequi eiq; quasi famulari viderent, quod præcipuum esset id solum esse dixerunt. Nam quod summi poetæ fuerūt, antequam quisquam poetices præcepta traderet: idem in oratoribus dici potest. Siquidem vt alios omittam, ille ipse, quo nemo post homines natos, eloquentior fuit: Demosthenes, omnes eloquentiæ numeros antea impleuerat, quam ab Aristotele, qui primus vt Dialecticē ita & rhetoricen ad artis formā redegit, libri ad eam rem pertinentes conscriberentur. Sic emendate loquebantur homines, antequam Grammatici nascerentur: neq; ex illorum præceptis emendate loquendi facultas; sed ipsa potius præcepta ex obseruatione eorum qui bene loquerentur, enata sunt: quomodo iurisconsulti dicunt, non ius è regulis, sed è iure regulas extitisse † neque omnino quidquam est aliud ars, quam imitatio quædā naturæ: neq; vlla est ars cuius nō semina ac principia naturæ debeātur. Sic igitur à me primum illud caput eorum, quæ proposueram, explicatum sit, vt poeticam neq; impetū quendam animi temere sine vllis legibus vagantis esse statuamus: neque rursus totam præceptis adlegatam & adstri-

A simili.

Ars est incitatio naturæ.

adstrictam teneri: sed & generoso quodā ingenio, tum ad concipiendas animo rerum imagines, tum ad ea quæ conceperit, grandibus verbis, & minime vulgari dicēdi genere efferenda egregie facto, & præterea diligenti cura atque obseruatione præceptorum quorundam contineri. Antiquitas ipsius vel è Ciceronis testimonio omnibus nota est qui è doctis antiquissimum esse ait poetarum genus. Nos certe Homero, quem tamen multi poetæ antecesserant, nullum profanum scriptorem vetustiorem habemus. Et illi qui primi dispersos homines congregasse, & ex agresti ac ferina, ad mitiorem & cultiorem vitam traduxisse perhibentur, non alij quam poetæ fuerunt: quos propterea Plato deorum filios & sapientiæ patres ac duces vocat. Qui cum & præclaras sententias funderent, & certis numeris ac pedibus verba vincirent, ita vt neq; vlterius quam par erat excurrerent, neq; citerius subsisterent: sed paria paribus reddentes æquilibritatem in dicendo quandam efficerent: & oraculorum similia atque ænigmatum speciem præbentia multa loquerentur, admirata eos illa rudis antiquitas, & diuinum aliquid in eis latere rata est, & suauitate cantuū irretita, ducēdam se illis gubernandamque permisit. Mulcet autem animos, & incredibili suauitate perfundit poesis, vt vno verbo dicam, propter admirabilitatem. Delectat enim, ait Cicero, quicquid est admirabile.* Poetæ autem & mira quædam narrāt, & ea miro modo eloquuntur. Iam omnes homines natura cupidi sunt scientiæ: & admiratio stimulus quidam est ad sapientiam ac scientiam: impellit enim ad quærendam caussam, in cuius cognitione ac pereeptione posita scientia est. Itaque Aristoteles, cuius hæc ex fontibus libamus, & admiratione ductos esse homines ait ad philoso-

De antiquitate poeseōs.

Cur poetæ deorū filij dicti & sapientiæ pares.

Quare poesis suauis & iucunda.

Admiratio homines ad scientias inducit.

losophandum: & vt quisque sapientiæ amantißimus sit, ita esse amantißimum fabularum. Delectant poetæ numero quoq; ipso & sono, qui naturæ nostræ ita consentaneus est, vt veterum quidam animum ipsum numerum esse atque harmoniam putauerit. † Delectant etiam quia in rebus nihil ad nos attinentibus pertentant animos nostros omni genere affectuum; ita vt vel legentes poemata, vel audientes, interdum angamur ac premamur metu, interdum ad spem erigamur, nonnunquam exhilaremur, nonnunquam etiam ijs quæ ficta esse scimus, illacrymemur. Vix sanctißimus & eruditißimus Aurelius Augustinus sæpe vbertim fleuisse se, cum Didonis mortem apud Virgilium legeret, confitetur. Sed hoc in eo propter singularem ipsius bonitatem minus fortasse mirũ videre potest. Vere enim hoc Græci prouerbio dicunt; Bonos viros facile esse ad lacrymandum.* Quid quòd feris quoq; ac barbaris hominibus, & cæde ac sanguine gaudentibus poemata tamen misericordiam interdum & lacrymis commouent? Alexandrum Pheræorum tyrannum accepimus aspero supra modum & immiti atque efferato ingenio fuisse: ita vt homines alios viuos defoderet, alios aprorũ, vrsorumq; pellibus tectos, canibus venatricibus laniandos obijceret, idq; sibi pro ludo atq; oblectamento haberet: quasdam etiam ciuitates amicas ac socias immißis sine causis spiculatoribus, repente vniuersas contrucidaret: Coram hoc agebantur aliquando Euripidis Throades: quæ in fabula dolenter admodum deplorantur Troianorum calamitates. Homo quamuis asper & indomitus, quẽque nulla vnquam res ad misericordiam flectere potuisset, sensit tamen se poetices cantibus commoueri. Itaq; statim se proripuit è theatro: indignum esse dicens, se,*

Veterum error de animo.

Poeseos effectus varij.

Confirmat exemplo. Occurrit obiectioni.

Exemplis probat etiam crudeles à poetis ad lachryma commoueri.

cui

cui tot strages, tot vrbium direptiones, tot ciuium exquisita tormenta nunquam lachrymam vnã exprimere potuissent, Hecubæ & Andromachæ malis illacrymari. Quam vim poetarum Horatius meritorum funambulorum & magorum operibus comparauit. Hanc vim poeseos magiæ cõparatur Horatius.

Ille (inquit) per extentum funem mihi posse videtur
Ire poeta, meum qui pectus inaniter angit,
Irritat, mulcet, falsis terroribus implet,
Vt magus: & modo me Thebis, modo ponit Athenis,

Paulo aliter explicat Aristoteles caussam eius voluptatis, quam ex poesi capimus: sed nihil prohibet aliter à pluribus eadem de re, & tamen vere ab omnibus disputari. Sententiæ Aristotelis de vi poeseos. Ait igitur Aristoteles natura comparatum esse, vt omnes homines imitatione gaudeant, & ex rebus imitando expreßis cuicuimodi tãdam illæ sint, voluptatem percipiant. Huic rei argumento esse puerulos, qui natura duce, imitari omnia gestiant, & hoc vel maxime differre homines à ceteris animantibus quod homines natura maxime facti sint ad imitandum; addit quæ prima homines discunt, imitandi disci; neq; quenquam esse quin rebus imitando expreßis gaudeant, etiam ijs, quas veras nollet aspicere. Non igitur mirum esse, cum poesis imitatio sit, tantam ex ea ab omnibus percipi voluptatem. poesis est imitatio. Hæc, vt à veritatis amantißimo philosopho tradita sunt, quin etiam verißima sint dubitari non potest. Sed mihi tamen interdum non paruam dubitationem attulerunt. Dubium. Ita enim mecum cogitabam: quod oculo lux est, idem esse animo veritatem: & quemadmodum luce oculum gaudere, abhorrere à tenebris: sic animos nostros ijs quæ vera sunt gaudere, quæ falsa sunt ea aspernari ac refugere. Et Euripides quidem iucundißimum esse ait, scire. Aristoteles autem discere; quorum

rum vtrouis posito, nihil veræ ac liquidæ voluptatis è rebus falsis percipi potest. falsa enim neque sciri, neque disci queunt. Et tamen falso gaudere hominibus, multis argumentis mihi videbar posse peruincere. Nam & poesi gaudent: & pictura, & omni denique imitatione. Omnis autem imitatio videri vult id quod non est: itaque quodam genere mendacium est. Neque vero tantum libenter ea videmus expressa coloribus, quæ vera delectant, vt nemorum pratorumq; viriditatem, tellurem multiplici variorum florum tegmine opacatam, eximia pueros mulieresq; forma; sed ea etiam quæ vera videre nollemus, mirabiliter nos picta delectant. Hercules liberos interficiens, discerpens Pentheum mater, rota volutus Ixion, iecur vulturi præbens Prometheus, ceteraque de poetarum mendacijs pictorum quasi propagata mendacia. Quid eluuiones, incendia, ruinas domorum vrbiumque direptiones loquar? quæ vera sani omnes refugiunt, picta summa cum voluptate intuentur. Ac admirari quidem solemus, si quos videamus nihil maiorem è fictis, quem è veris, voluptatem percipere: eosque rudes esse atque impolitos iudicamus: cuiusmodi ille Laco fuit, qui cæteris tabulam quandam magnifacientibus, in qua pictus erat præpingui rusticus corpore, ad vmbram arboris stratus, magna cum significatione languoris ac desidiæ, negauit eam sibi placere quod talem hominem ne viuum quidem in ædibus habere vellet. Et Anacharsis qui inuitatus ad audiendum quendam, qui mirifice Lusciniæ cantum imitabatur, aspernatus est: veras sibi Luscinias sæpe auditas esse dicens. At quis nostrum non talia omnia pluris faciat imitata quam vera? Quæ autem vera vacca tantopere vnquam celebrata est, quantopere vacca Myronis?

Argumētis ostendit homines falso gaudere.

Admiramur picta, quæ vera videre refugeremus.

Nun-

Nunquam igitur hominem falso gaudere dicimus? imò verò naturæ hominum amica pene veritas est: neque aliud quidquam mendacio gratiam conciliat quam imitatio veritatis. Itaq; cum ea dicuntur quæ nullam prorsus habeant veritatis similitudinem, aut suapte vi, aut habita ratione eorum apud quos dicuntur, nulla ex talibus mendacijs existere voluptas potest. At poetarum figmenta & ingeniose excogitata sunt, & accedunt plerumque ad aliquam similitudinem veri: & ita exponuntur, vt in ipsa eorum expositione mirificũ quoddam ingenij acumen perpetuo eluceat. Itaque quoniam verum ingeniose imitantur, oblectant. Sequitur, vt ostendam quæ commoda humano generi adferant poetæ: & quas ad res vtilis sit poematum lectio. Dico autem, quæ duo vt doceret Achillen Phœnix, comitẽ se ei à patre datum esse profitetur, ad ea vtraque poetas vtilissimos esse. Nam & benè loqui docent, & honestas actiones animos legentium aut audientium impellunt: quod his versibus exponit Horatius:

Ad propositum dubium respondet.

Poetarum figurata admirabilia & iucũda quod similitudinẽ veri habeant. De vtilitate poeseos.

Os tenerum pueri, balbumq; poeta figurat:
Mox etiam pectus præceptis format honestis,
Asperitatis, & inuidiæ corrector, & iræ.

Poesis bene loqui docet.

Ac de eloquentia quidem, quin ad eam plurimum conferant, ne dubitari quidem potest. Omnis enim granditas orationis, omnis peregrina, & ab vulgari abhorrens conformatio verborum, omnes figuræ insigniores non ab alio scriptorum genere, quàm à poetis petuntur. Numerose autem dicere, quo nullum maius elocutionis ornamentum est, nemo non poterit, nisi qui aures habeat in numeris poeticis diu multumq; tritas & exercitatas. Illa maior & dubitationis plenior quæstio

A poetis omnes figuræ, & verborum elegantiæ.

est, prosint ne moribus poetæ, an eos inficiant ac deprauent. Plato enim cum innumerabilibus locis summam laudem tribuisset poetis ac præcipue Homero, in libris de republica, multa ab eo peccata esse demonstrat, & ciuibus suis ab eo metuens, excludit eum ab illa quam instituit, ciuitate. Quem imitatus Cicero in Tusculanis, videsne, inquit, poetæ quid mali adferant? Lamentantes inducunt fortissimos viros: molliunt animos nostros; ita sunt deinde dulces, vt non legantur modo, sed etiam ediscantur. Sic ad malam domesticam disciplinam, vitamque vmbratilem & delicatam cum accesserunt etiam poetæ, neruos omnes virtutis elidunt. Recto igitur à Platone educuntur ex ea ciuitate, quam finxit ille, cum mores optimos, & optimum reipub. statum exquireret. Nos vero, si, vt Sirenum ita poetarum cantus exitiosi sunt, obturemus adolescentium aures, neque ad eos vllum poeticæ suauitatis gustum permanare patiamur. Sed si, adhibito iudicio, eorum lectio fructuosa est, caueamus ne faciamus idem quod Lycurgus Rex Thraciæ.

Quærit an pro sint moribus poetæ.

Argumẽta contrar:

Cætera desiderantur.

ORATIO XIV.

Aggressurus Satyram tertiam decimam Iuuenalis.

Habita Romæ anno M.D.Lxxx.

Orditur à causa mutati consilij.

CVm constituerim vobiscum vna euoluere atq; excutere librum Senecæ de prouidentia, iudicaui omnibus nobis commodum fore, si is liber seor-

seorsum à cæteris Senecæ operibus mea opera emendatus excuderetur. Ac sperabam id fore, antequam ad has mihi iucundissimas, vobis, vt merito sperare videor, non molestas exercitationes rediremus. Sed aliter cecidit. Interea igitur, dum ille pulcherrimus libellus à librarijs describitur, delegi 13. Iuuenalis Satyram in qua hoc triduum consumeremus. Et iucunda autem & vtilis illius euolutio futura est. Commendat satyrã à iucunditate & vtilitate. *Continent enim multas graues & vtiles sententias, optimis verbis, & genere quodam dicendi salso, festiuo, hilari, &, vt ita dicam: viuido quod huic poetæ proprium ac perpetuum est, explicatus. Neque mihi quisquam illud obiecerit, multos esse ex latinis Iuuenale meliores poetas.* Obiectio. *Non contendo. Scio multum interesse inter Iuuenalem & Virgilium.* Resp. *Sed qui solum Virgilium legerit, tanto præstare eum cæteris, credere poterit, scire non poterit. Vt ad certiorem ipsius Virgilij gloriam pertineat, etiam alios legi. Deinde non continuo sola cognoscenda quæ optima. Alioqui non tantum è poetis solus Virgilius, ex oratorib. solus Cicero: sed ipsius Virgilij vnum aliquod poema: Ciceronis vna aliqua oratio legenda erit. Certe enim & aliquod Virgilij poema, & aliqua Ciceronis oratio principem locum tenet. At nemo vnquam repertus est qui aut Homerum, præcipuum esse inter poetas negaret, aut propterea Hesiodum, Theocritum, Appollonium Rhodium alios etiam inferiores è manibus hominum excutere conaretur. Nec quia Sophocles in Tragœdia excellit, idcirco Aeschilum Euripidemq; contemnimus.*

Non, si priores, (ait Horatius) Mæonius tenet
Sedes Homerus, Pindaricæ latent,

Ceaq́;, & Alcæi minaces,
Stesichoriq́; graues Camœnæ.

A simili. *Suus est stellis honos, sua lux, etiamsi à solis splendore & claritate vincuntur. At stulte facit qui in potestate eligendi prætermißis optimis deteriora sectatur. Hoc ita demum in me valeret, si suaderem vobis, vt eos quos o-*

Ab anthoritate. *ptimos esse constat, prætermitteretis. Sed id neque feci adhuc, neque facturus vnquam sum, & multum puto interesse, hos quasi secundarum partium scriptores melioribus anteponat aliquis, an eis quoque studij aliquid tribuendum putet. Præclare Cicero, ferreum quidem scriptorem esse non diffitetur Attilium: sed scriptorem tamen, vt legẽdus sit. Rudem enim, inquit, esse in nostris poetis, aut inertissimæ segnitiæ est; aut, fastidij delicatißimi; mihi quidem nulli satis eruditi videntur, quibus nostra ignota sunt. Hæc ille: & illis quidem temporibus cum neque Musarum scopulos quisquam superarat: & is qui hoc scripsit Ennius, meliorum inopia principem locum tenebat. Quid igitur censemus dicturum fuisse Ciceronem, si ad eorum poetarum, qui postea floruerunt, tempora vitam producere potuisset? Qui certe vt veteris illius Romani sermonis integritate inferiores fuerint: suæ enim quisque ætatis, quam atauorum suorum sermone vti malebat: limatiores tamen, & cultiores, & multis poeticis virtutibus superiores fuerunt. Nam igitur hos nitidos & politos contempsisset, qui illos horridos & impexos, studiose tamen ac diligenter euoluerat? Sed vt in cæteris vitæ partibus, ita in ratione*

Quæ ratione in studiorum ratione *studiorum varie à vulgo hominum peccari solet. Patrũ & auorum nostrorum memoria, qui se eruditos perhiberi volebant, optimis quibusque scriptoribus, tanquam*

peruul-

peruulgatis & abditum ac retrusum continentibus valere iussis, in alijs quibusdam obscurioribus, minusque tritis suam omnem industriam collocabant. Itaque eorum plerisq; sæpius in manibus erat Appuleius, aut Sidonius Apollinaris, quā Cicero: Persium quam Horatius, Lucanum aut Claudianum quam Virgilium libentium & maiore cum studio peruolutabāt. Animaduertit hunc errorem insequens ætas, & Bembi, Sadoleti, ac similium & exemplo & auctoritate commota, ad vetustiorum lectionem imitationemq; reuocata est. Sed secutum est aliud malum exorta factione ineptorum hominum, qui præter Ciceronem, Cæsarem, Sallustium, & si forte, aliquot alios eidem ætati suppares, tum ex poetis, præter Catullum, Lucretium, Virgilium tres aut quatuor alios, clamare cœperunt, cæteros omnes barbaros esse, nesciisse latine loqui, neq; satis dignos esse in quibus cognoscendis vllum studium poneretur. Inde extitit enectum quoddam & famelicum, &, vt ego interdum vocare soleo, dilutum eloquentiæ genus, hominum existimantium bene dicendi laudem in eo positam esse, vt ne vllum vocabulum ponas, quod non ex Cicerone sumpseris, quamuis fatue atque insulse loquaris, sine vlla vi, sine vllo acumine, sine vllo pondere sententiarum, dummodo vnum illud obserues, ipsius te Ciceronis fraterculum fore. Similis fatuitas, eorum quoq; qui poetarum laudem affectabant, animos occupauit. Nam cum sibi indices quosdam confecissent earum vocum, quibus veteres aliquot poetæ vsi essent, putarunt se illis æquiparatum iri, dum sedulo cauerent, ne quam vocem versibus suis immiscerent, quæ non in illis, quos dixi, indicibus reperiretur. Ergo hoc exemplo

peccetur.

Bombus & sedaletus antiquos auctores reuocātur.

In eos qui solo Cicerone delectantur & Virgilio.

ſuo vtrique docuerunt, ex omnibus Ciceronianis vocibus ſtultiſſimas orationes, ex omnibus Virgilianis peſſimos verſus poſſe componi. Neque dici poteſt quam hæc hominum ſomnia ſibi placent, quam ſe circumſpiciant, quam ſe impudenter ijs, quos non intelligunt, anteponant. Statium, ait eorum quidam, aut Siliū Italicum, tu mihi, aut Lucanum, aut Senecam nominas? Ouidium etiam cui præter vnum Virgilium, Latinorum nemo par fuit, contemnere audēt, ſeq; ei anteponere non verentur. Vnus etiam ceteroqui homo eruditiſſimus, ſed illo errore imputus, Ouidij metamorphoſin, diuinum poema, & omnibus ingenij, omnibus eloquentiæ luminibus omni ex parte collucens, in eum ſermonem, quo vulgo nunc vtimur, ſibi conuertendum curauit, ne ſi eam latine ſcriptam attingeret, ſinceritatem latini ſermonis, quam ex alijs poetis hauſerat, contaminaret. Sed hunc quidem excuſare quoque modo poſſumus: qui cum & doctrinæ copia abundaret, & latine ſermone perite ac ſcienter vteretur, hac vna in re nimis credulus fuit aliorumq; iudicio ſtare potius voluit quam ſuo. Iſti conferendi, qui ab omni eruditione imparati, quaſi ſatis ſit dixiſſe, ego pulchra poemata pango, audent ſe cum eis componere, aut etiam eos præ ſe deſpicere, à quorum coquis, aut mulionibus ſi hodie viuerent, ſcribendorum carminum laude facile vincerentur. Horum ego ſimul atque Iuuenalem mihi in manibus eſſe reſciuerint, qui de me ſermones futuri ſunt, non ignoro, Iuuenalem interpretatur. Cur non potius Horatium? ſed & tertio ab hinc anno quaſi alij poetæ deeſſent, Senecæ Toradas delegit, quas interpretaretur. Ego vero & in explicandis Senecæ Troadibus ita tum me verſatum

Refert rumores, qui de ſe ferrentur.

eſſe

esse confido, vt illius poetæ amorem multis incusserint: & in huius Satyræ explicatione, spero me perfecturum, vt eiusdem poetæ alias quoque cognoscere cupiatis. Sed satis iam verborum factum est. Nunc primum exponam argumentum huius satyræ. Deinde ipsius poetæ verba recitabo, quæq; in eis explicatione egere videbuntur, ea diligenter & accurate interpretabor. Conclusio.

ORATIO XIII.
Cum annales Taciti explicandos suscepisset.
Habita Romæ III. Non. Nouemb. M.D.Lxxx.

NEQVE pars vlla studiorum humanitatis aut amœnior est, aut fructuosior quā historia: neque vllus gentis historia est, quæ cū historia populi Rō. aut magnitudine, aut pulchritudine, aut omnis generis exemplorum copia varietate contendat: neque ex ingenti scriptorum, qui res Romanas literarum monumentis prodiderunt, numero quisquam est, quem merito quis C. Cornelio Tacito anteponat. Nam si nihil est hominis animo iucundius, quam discere; & eorum quæ suapte vi ac natura iucunda sunt, tanto quidque iucundius, quanto laboris ac molestiæ minus exhibet; dubitare de historiæ suauitate nemo potest: cum scripti genus nullum sit, ex quo aut plura, aut citius & minore animi contentione discantur. Artium præcepta dum traduntur, molesta sunt: mathematica nō plures pulchritudine in

Exorditur ab historiæ iucunditate & facilitate.

Facilitatē historiæ ostendit iam alijs scientias comparando.

ne inuitant, quam difficultate deterrent: illa ipsa princeps & regina artium philosophia nunquam tam multos habuit studiosos sui, vt non plures obtrectatores haberit: vna historia est, *quæ omnium studia alliciat, aures teneat, animos mulceat: a qua si quis abhorrere se dicat, parum absit, quin ipse se hominem quidem esse fateatur.* Paruulos pueros, in quibus naturæ vis maxime elucet, verißimeq; perspicitur, nulla re magis quã narratiũculis duci videmus: qui etiã sæpe, vt aliquẽ fabellas narrantem audiant, eas ipsas, quibus cum maxime operam dant, lusiunculas deserunt. Isti superbi ac diuites, librorum & literarum omnium osores, qui sibi è stolido ac supino pulcherrimarum rerum contemptu gloriam quærunt, vt tamen sic quoque aliquod hominis simulachrũ ac vestigium retineãt, ab historia non penitus abhorrent. Itaq; in illis ipsis quoq; atrijs, cenationibus, cubiculis, vnde aliæ omnes literæ omnisque honestas exultat, in mensa tamen aliqua, aut in abaco interdum videas expositos vna cum fritillo, & turricula ac tesseris ceteroque instrumento aleatoria etiam libros aut historiam, aut aliquid historiæ vtcunque simile continentes. Vt enim mustum bibunt, qui vini veteris acrimoniam atq; austeritatem non ferunt: sic pueri, & viri puerorum similes, quia serio scriptæ historiæ grauitatem seueritatemq; non capiunt, inanibus se fabulis propter quandã illarum cum historia similitudinem oblectant: Sed superuacaneum est de voluptate, qua ex historia percipitur, pluribus dicere: cum id de suo quisq; sensu iudicare facile poßit. Vtilitas autem quanta ex historiæ tractatione capiatur, quis nõ videt? Mitto iam quod ille apud Platonem Aegyptius sacerdos Soloni dixisse fertur, sem-

per

[Margin notes:] Similiter desinens. — Ostendit pueros & literarum osores historiam appellunt. — Simili declarat cur pueri fabellis delectentur. — Transitio. — Historiam

per pueros esse, qui vetustatis cognitione careant, illius quidem omnium humanarum rerũ moderatricis prudentiæ, vnde maior vis quam ex historiæ colligi potest? *laudat ab vtilitate.* Non enim auium cantum, aut volatu, non inspiciendis pecudum fibris, non interpretandis hariolorum cantibus futura prænoscuntur: *Adiũctio.* qui cuiusq; consilij aut incepti exitus esse soleat, qui diligenter notauerit, atq; obseruauerit, is demum, quod ex quo euenturum sit optime ac certißime prouidebit. Quamquam enim non certa quadam & immutabili serie res humanæ voluuntur, magnaq; earum varietas & inconstantia est, vt hoc ipsum: quemadmodum dicebat Agatho, verisimile sit multa præter id quod verisimile est euenire: plerumq; tamen è similibus similia existunt: neque vlla certior regula est iudicandi quo quæque res euasura sit, quam inspicere, quem exitum similia in longinquitate temporis sæpius ac frequentius habuerint. Quod si aut temporis hominibus ad viuendum concessi breuitas, aut ipsa vitæ ratio pateretur, vt idem homo multa sæcula, integra mente, integrisque sensibus vixisset: multas prouincias obijsset, ad intimas principium virorum de grauißimis rebus cõsultationis frequenter adhibitus esset: omnium sententias audijsset: rationum, quibus quisque niteretur, põdera ac momenta diligenter expendisset: obseruasset postea & notasset diligenter, qui ex quo consecutum esset: quis non incredibilem quandam in eo vigere vim consilij crederet: quis non eius sententiam de rebus gerendis in oraculi propemodum loco ac numero habendam fateretur? Atqui quod natura nobis denegat, præstat historia, vt qui eam diu ac diligenter peruolutarunt, omnibus ætatibus vixisse, omnes regiones perlu-

strasse omnibus publicis consilijs interfuisse, omnia, quæ vnquam contigerunt, præsentes spectasse, atque annotasse videantur. Nam *quod alicubi Aristoteles ait, maiorem quandam esse poëtices quam historiæ cum philosophia coniunctionem: quod historia tantum quid factum sit, exponat, poetica quid fieri debuerit: id quale aut quomodo accipiendum sit, alias fortasse videbimus: illud certè & extra omnem controuersiam est, & ab eodem Philosopho alibi traditur, in grauibus & serijs deliberationibus cum maximus exemplorum vsus sit, è poetis quidem petita exempla in vulgus interdum aliquid valere: at apud graues & cordatos viros multo maiorem vim ea quæ ex historijs ducta sunt, obtinere.* Nam *quod Horatius Homerum commendans dicere ausus est, quid honestum, quid turpe, quid vtile, quid inutile sit, melius eum ac plenius, quam philosophos docere: id ego de historia longè verius ac iustius dicere ausim. Etenim philosophi primas rerum causas inquirunt, in præceptis communibus latißimeq; patentibus occupantur: singula non fere considerant. Omnis autem actio, omnisq; deliberatio singulis in rebus versatur: neq; quisquam vnquam, num bellum gerendum foret, sed nũ huic populo aduersus illum hoc tempore gerẽdum foret, deliberauit. Vt igitur medicus qui multis ægrotis adsederit, multos curauerit, multis arteriam explorauerit, venam secuerit, medicamenta miscuerit: quid ex quoq; accidere soleat, notauerit, sæpè ad medendum vtilior est eo, qui maiorem quidem rerum medicarum scientiam ex Hippocritis libris hauserit, sed illa cognitione contentus nunquam hominis ægroti lotium aspexerit: sic ad consultandum melior, qui multa eiusdem generis singu-*

Obiectio Aristotel.

Plus ponderis habẽt exempla ex historijs petita quã è poetis circa quæ philosophus versetur.

Simili probat in historijs versatum præstatiorem esse philosopho in deliberationibus.

singularia in historijs adhibito iudicio notauerit, quam qui ex philosophorum scriptis communia quædam viuendi præcepta cognouerit. Optandum quidem est, vt vtrumque adsit: sed si alterutro carendum sit, malim experientem & exercitatum hominem sine vlla vniuersa cognitione totius generis, quam erudite & subliminiter de vniuerso genere disputandi peritum, vsus & exercitationis expertem. Hunc in schola libentius audias, illum vtilius in consilium adhibeas. Sed de vtilitate historiæ & dicta sunt à me alias multa, & dicentur: & cum quæcunque potuero, dixero, semper tamen multa supererunt. Quanto autem populus Romanus ceteris gentibus imperij magnitudine præstitit, tanto historia populi Romani ceterarum gentium historijs antecellit. Nullius populi obscuriora & tenuiora principia: nullius admirabiliores progressus: nullius tanta maiestas, tanta in prosperis rebus moderatio, in aduersis animi magnitudo: nusquam & virtutum & vitiorum omnis generis aut plura exempla, aut illustriora. Quod si nulla gens est vsque eo immanis ac barbara, quæ non in rebus gestis Romanorum cognoscendis plurimum operæ ac studij collocet, quid nos facere oportet, qui Romæ viuimus: qui è Romano cœlo spiritum ducimus, qui post tot acceptas clades, tot calamitates, tot strages à bacchantibus barbaris, vt à petulantibus seruis viduæ & effœtæ iam dominæ insultantibus, editas, tam multa tamen illius antiquæ virtutis ac maiestatis monumenta quotidie intuemur? An cum tam multos ingeniosos & eruditos homines in remotissimis gentibus natos, tam longinqua itinera suscipere, tantos sumptus facere, tam multis se laboribus ac periculis exponere videamus, vt

Ostendit historiam populi Romani ceteris præferendam. Contra posita.

Adhortatio ad iuuentutem.

Romam

Romam videant: quod ita iudicant se melius ac perfectius historiam Romanam intellecturos, si ipsum vrbis situm, ipsa mœnia, ipsas veterũ arcuum, trophæorum, templorum quamuis laceras & disiectas reliquias, illos tot olim nobilitatos victorijs colles viderint: nos quibus otiosis hæc omnia in oculos assidue incurrunt, rerum Romanarum cognitionem negligemus? Quarum per se tanta pulchritudo est, vt etiam si scripta essent horrido aliquo & inculto orationis genere, suapte tamen vbi hominum studia excitarent: nactæ autem sunt eiusmodi scriptores: qui, quamcunq; sibi scribendi materiam sumpsissent, dignissimi tamen studio propter ipsum scribendi genus fuissent. Non enim potest quisquam dicere, in scriptores rerum Romanarum intuens cur hæc tanta ingenia se dignius aliquod scribendi argumentum non elegerunt? neque rursus illud, cur res tam claræ tamq; illustres non in aliquos magnitudine sua dignos scriptores inciderunt? Ita rerum magnitudo præstantia ingenia euocauit: scriptorum præstantia rerum magnitudinem adæquauit. Quid enim, vt ceteros in præsens omittam, ipsos modo principes nominem, aut Sallustio grauius neruosius, aut Liuio grandius & vberius, aut Tacito pressius, prudentius, limatius omni ex parte perfectius fieri potest? Cuius annales quoniam hoc anno, quod Deus faustum ac felix esse velit, vobiscum vna communi studio euoluere, viamque vobis ad eos facilius intelligendos, vt potero, præire decreui, pauca mihi quædam de eo dicenda sunt: non vt eum laudem: nam cum ipse se satis tacitus laudet, ego quoq; præstantiam ipsius tacitus admirari malo, quam & infantiam meam prodere, & laudes ipsius, ingenij culpa

Laudat Historiam Romanam à scriptorũ præstantia.

Contra positum.

Ad annales Taciti orationem conuertit.

culpa deterere: sed vt ijs respondeam, qui & Tacitum tanti à me fieri, & me tam diu, tanto studio, vt mihi eius publice interpretandi potestas fieret postulasse mirantur. Hodiernam autem orationem meam illi ipsi qui Tacito obtrectant, breuiorem reddiderunt, Nam si Tacitus mihi laudandus fuisset, necesse habuissem vndique conquirere ac colligere quæcunque veteres à perfecto historiæ scriptore exigenda esse dixissent, ac prolatis exemplis ostendere ea omnia Tacitum cumulatißime præstitisse: quod & si verißime fieri poterat, propter ipsam tamen multitudinem & varietatem arduum ac difficile fuisset. Nunc Taciti quidem virtutes melius ac commodius in progressu operis singulas notabimus: hodie nisi temporis excludamur angustiis, pauca tantum quædam refutabimus ac refellemus, quæ in eum temere ab imperitis conijci solent. In primis autem illud positum sit, quæ summa scribentium laus est, eam Tacito ab omnibus vno ore tribui: nullum vnquam scriptorum prudentiorē ac consideratiorem fuisse: siccam ac sobriam eße illius orationem, adstrictam verbis, densam sententijs, nihil in ea notari posse diffluens, nihil inane, nihil redundans: singulis sæpe verbis singulas sententias contineri. Magna laus: & quæ in quo sit, facile ei alias deesse patiaris. Nam vt in ijs quæ poßidentur, ea plurimi fiunt, quorum exigua moles est, pretium ingens: vt aurum, vt gemmæ: vt in cibis ij maxime laudantur: qui minimum detrimentorum habent, plurimum succi: ita maximi facienda oratio, quæ paucißimis verbis plurimum sententiæ amplectitur. Indicat enim, se in pectore non in ore nasci. Hæc præcipua orationis virtus quæ ex omnibus scriptoribus Latinis in Taci-

Inobtrectatores.

Laudatur Tacitus à prudenti & breui oratione.

A simili.

Tacito præcipuè cernitur, effecit , vt omnium ætatum sapientißimi quique, qui non inani verborum sono, sed bonitate & grauitate sententiarum ducerentur, præcipuo in honore Tacitum semper habuerint, eiusq; assiduam & accuratam lectionem principibus viris omnium vtilißimam iudicarint. Neq; verò vt id ita esse doceam, illo præcipuo argumento nitar, quod M. Tacitus non Imperator tantum, sed prope singularis exempli Imperator, huius nostri imaginem in omnibus bibliothecis collocari, libros ne perirent, quotannis decies describi, & in archiis ciuicis asseruari voluit, cum se etiam ab eo genus ducere gloriaretur. Vetera illa iam & obsoleta: & exemplorum quæ tantopere à temporibus nostris remota sunt, minus magna vis est ad permouendum. Paulus III. P. M. quo nullum sapientiorem senem nostra vidit ætas, Tacitum sæpè relegendo contriuerat, neque vllum profanum scriptorem æque libenter legebat Cosmus Medices, qui primus Magnus Etruriæ Dux fuit, homo factus ad imperandum, qui eam, quæ vulgo fortunæ dicitur, in consilio & prudentia consistere docuit, Taciti libros in deliciis habebat: eorumq; lectione auidißime fruebatur. Neq; non hodie multi aut principum, aut eorum qui de summis rebus à principibus in consilium adhibentur, eundem studiosißime legunt. & quasi pro magistro quodam prudentiæ habent. Nunquid igitur mouebimur stultis puorundam vocibus, qui nisi quod ipsi didicerunt , nihil discendum putant: &, quoniam à magistris suis nihil olim præter bucolica Virgilij, & pauca Ciceronis epistolas, & orationem si fortè aliquam audierunt ab eis, me discedere, & vobis grauiora proponere, iniquo animo ferunt? † An quis-

Quanto olim in pretio fuerint eius annales.

Inuehitur in aduersarios.

Ad auditores gra-

quiſquam veſtrum eſt, qui eo conſilio ſtudia ſequatur, vt in puluere ſcholaſtico conſeneſcat. Cur igitur ea potius conſectemur, quæ tantum in ſcholaſticis concertatiunculis inter adoleſcentulos, aut ſenes adoleſcentulis ſtultiores oblectamento, quam quæ olim grauiſſimis in negotijs emolumento futura ſint? Vos verò iſtos nugatores contemnite, præſertim cum illa leuiora aut iam didiceritis, aut, qui ea vſque ad tædium inculcent, in omnibus vicis ac triuijs obuios quamlibet multos; qui Tacitum interpretari aut poſſint, aut velint, non multos ſitis habituri. Nunc, quæ in eo culpari à nonnulli ſoleant, exponerem, eaq; omnia, vti pollicitus eram, refutarem ac refellerem: ſed video me longius progreſſum eſſe dicendo, quàm à principio exiſtimaram. Fefellit me Taciti amor: cuius laudes cum hodierno die tacitus prætermittere ſtatuiſſem, auferri me poſtea paſſus ſum: neque mihi potui ne eas ſtrictim & modice attingerem, temperare. Vereor autem ſi longius orationem producere voluero, ne & vobis moleſtiæ ſim, & ijs qui poſt me in hunc locum conſcenſuri ſunt, impedimento. Quare quæ ſuperant, in craſtinum, ſi vobis quoque ita videtur, differam: neque metuam, ne quis me hodie iuſto breuiorem fuiſſe dicat. Nã & in his primis velitationibus noſtris, iuſtiq; curſus ac certaminis quaſi proluſionibus breuitas culpari non ſolet: & verum eſt, quod ait Varro, portam itinere eſſe longiſſimam. Equos ipſos, vbi diu quieuerunt, qui longum iter ingreſſuri ſunt, fatigari primo itineris die non ſolent. Si tot præſtantibus viris, qui huc hodie conuenerunt, vt dicendo placerem, conſequi fortaſſe non potui: at certè, breuiter dicendo, minus vt moleſtus ſim, conſequar: Sed vtinam

tiam conuertit.

Peroratio per excuſationem.

nam

nam, Auditores, vtinam & breuis hodie visus sim, & quicunque me vnquam audient, breuem semper fuisse me doleant. Quanto suauius est, abeuntes dicere ; cur hic tam cito desijt? Quam abire cupientes, quando tandem hic desinet? Nimio satius est, quod cum fame relinquit, quam quod satietate distendit.

ORATIO XIV.

Sequitur in eodem argumento.

Habita Romæ Prid. Non. Nouemb. M.D.Lxxx.

Exorditur ab aduersariorum abiectionibus.

QVI me à Taciti interpretatione deterrere cupiebant, quinque præcipue quæ illi obijcerent, reperiebant. Primum quod illorum temporum historiam contexuisset, quibus vetus illa S.P.Q.R. maiestas & amplitudo conciderat, quibus illi paulo ante terrarum domini acerbißimo teterrimorum tyrannorum dominatu oppreßi tenebantur. Nō iam amplius Camillos, Curios, Fabricios, Maximos, Lælios, Scipiones, *aliaq; virtutum non hominum nomina in historia repertum iri,* * *sed degenerem & oblitum virtutis auitæ populum, sed senatum ad seruilem adulationem proiectum, sed proposita vitijs quæ quondam virtutibus deferebantur præmia, sed vnius impuri hominis libidinem extincta legum actoritate dominantem. Quod si vere dictum esset à summis Philosophis, principum mores esse speculum ciuitatis, cœteramq; multitudinem ad imperantium exempla componi: quem virtuti locum esse potuisse in ea vrbe, in qua, non homines, sed monstra,*

Prima obiectio.

Anaphora.

stra & ex omni vitiorum fæce ac colluuione concreta regnarent? Melius itaque consulturum esse me studijs vestris, quando Romanam historiam tractare animus erat, si eorum vobis temporum historiam proponerem, quibus popul. Roman. foris aduersus barbaras gentes, domi aduersus vitia perpetuum bellum gerebat, neque ceteros populos bellica magis virtute, quam innocentia & integritate superabat. Abire mores, quæ discuntur in scholis: & ea fere quemque imitando exprimere, quibus legendis audiendisque puer assueuerit. Neque deerant, quod equidem valde miratus sum, qui non dubitarent mihi auctores esse, si res sub imperatoribus gestas persequi vellem, vt Suetonium potius, quam Tacitum sumerem: quem ipsi & meliorem Tacito Latinitatis auctorem, & nitidiori ac floridiori genere orationis vsum dicerent.† Erant etiam, qui, quod maximum in historico vitium est; fidem quoque Taciti accusarent, quod multa mēdacia historijs suis admiscuisset. Neque tamen quanquam sæpe à me orati, vt id facerent, mendacium ipsius proferre vllum poterant: duorum tantum veterum scriptorum testimonio id peruincere nitebantur: quorum Vopiscus aliquando mentitum in historia Tacitum diceret: Tertullianus eum mendaciorum loquacissimum vocaret.* Addebat tertio loco, impium ac nefarium esse scriptorem, qui Christianæ religioni apertè infensus & inimicus fuisset. Asperum præterea & insuauem ac spinosum, & cum cuius difficultate ad eruendas sententias perpetuo luctandum foret.* Postremo malè latine locutum: idque non vulgus modo dicere, sed ipsos etiam præcipuos Taciti amatores confiteri. Cuius igitur libri & corruptissimorum tem-

porum historiam, eamq; ipsam neq; satis fideliter scriptam, & melius ab alio traditam contineret, & auctoris sui manifestam impietatem proderent, & molesto atq; odioso propter obscuritatem, & parum latino sermone constarent, caussam esse nullam, cur, tot potioribus omißis, in eo potißimum cōijcere huius anni curriculum vellem. Ad quæ omnia respondere constitui, ne præiudicata multorum opinio cuiusquam vestrum aut animum auocet, aut retardet industriam. Primū igitur considerandum est, respublicas hodie per quam paucas esse: nullam esse propemodum gentem, quæ non ab vnius nutu atque arbitrio pendeat, vni pareat, ab vno regatur. Ergo hac saltem in parte propius accedit id similitudinem temporum nostrorum status ille rerum qui sub imperatoribus, quam qui imperante populo fuit. Quod autem quæq; historia rerum nostrarum similior est, eo plura sunt in ea quæ discamus, quæ ad vsum conferamus, quæ ad vitā moresq; referamus. Quāquam autem Dei beneficio ætas nostra Tiberios, Caligulas, Nerones non habet: prodest tamen scire quomodo etiam sub illis viri boni ac prudentes vixerint, & quomodo & quatenus illorum vita tulerint ac dißimulauerint: quomodo neque intempestiua libertate vtentes, vitam suam sine vlla publica vtilitate in periculum obiecerint, neq; tamen fœda ac probrosa laudantes placere sibi vllam turpitudinem ostenderint. Multa sæpe sunt in principibus quæ vir bonus laudare non potest, tegere & transmittere silentio potest. Ad ea conniuere qui nesciunt, & sibi periculum creant, & ipsos principes plerumq; deteriores faciunt. Multi enim qui vitia sua latere credunt, sponte ea paulatim exuunt, ne detegantur,

Responsio ad primā.

Occurrit obiectionis.

tur: & dum se bonos haberi putant, boni fiunt. Iidem si turpitudinem suam palam esse videāt, iam famæ securi, quæ palam dici vident, palam quoq; faciunt: & famā dum bonam desperant, malam negligunt. Melius autem feret minora & pauciora principū vitia, qui quomodo olim viri boni ac fortes plura & grauiora pertulerint, cognouerint.* Quod si quis principibus corruptissimis viros singulari virtute præditos extitisse non putat, magno in errore versatur. Vixit sub Tiberio, vt cæteros taceam Germanicus, cui ego omni genere laudis ne ex illis quidem veteribus Romanis quenquam antepono. Vixit sub Claudio Seneca, & Senecæ quanquam fortasse par nemo, similes tamen multi. Neronis ætas multos habuit quorum virtutem vix ipsius vitia æquarent. Omninoq; ita est vt dicam. Vt palmam aiunt aduersus onera, sic virtus aduersus vitium contumax surgit: & vt in AEtnæ montis cacumine, vbi maximè, vrit flamma, herbam quoq; finitimam maxime virere perhibent, quasi ipsa secum contendente natura & nolente fecunditatem soli vicinorum ignium ardore superari: sic plerunq; vbi maxima vitia dominantur, maximæ, virtutes erumpunt, quæ cum illis certamen suscipiant: & si superiores esse non possint, non tamen hostibus suis triumphum sine dimicatione concedant. Non igitur, si pleriq; Imperatores vitiosi fuerunt, idcirco bonis & vtilibus exemplis temporum, quibus illi rerum potiti sunt, historia caritura est,* sed & ipsa improba exempla nos interdum ad virtutem acuent: cautiores certe & consideratiores efficient. Ex illa perpetua simulatione Tiberij, ex illo vultu ac sermone alia omnia quam quæ cogitabat per se ferente discemus, caute cum principibus a-

Sub corruptissimis principib⁹. viros pro vos vixisse exemplum demōstrat.

Simile.

Vtilitas quæ ex improbis exēplis manat.

gere, neque semper illorum vultui ac blanditijs fidere. Discemus, quæ principes occulta esse volunt, ea, etiamsi sciamus, nescire, neq; altius, quam ipsi velint, in eorum arcana penetrare. Iuuabit in Seiano videre quàm in lubrico sit eorum potentia, qui se malis artibus apud principes omnia posse rentur: quamque sæpe vbi diu in alios contumeliosè debacchati sunt, & in præceps decidant ipsi, & alios in idem exitium trahant. Sic ipsa quoque improba exempla proderunt. Sed de his satis.

Tacitum cum Suetonio confert.

Istos autem satis mirari non possum, qui vbi de Tacito agitur, Suetonium nominare audent. Nihil equidem detrahendi studio dicam, longè enim id, & ab ingenio, & ab consuetudine abhorret mea: neque is scriptor est Tacitus, cui gloria ex aliorum vituperatione quærenda sit: sed inter eum & Suetonium nimium quantum interest. In Suetonio nihil est ex quo eius aut prudentiam, aut eloquentiam, aut eruditionem vllam eximiã agnoscas. In tacito quid horum emineat, ideo difficile dictu est quia eminent omnia. Suetonium certè nemo vnquam veterum aut inter eruditos aut inter disertos nominauit.

Tacitus eloquentissimus.

† At Tacitus habitus est ætatis suæ, sine cõtrouersia eloquẽtißimus, & quæ virtus Demostheni maximam inter Græcos gloriam peperit, quam illi δεινότητα *appellant, eam, vt propriam & peculiarem Tacito tribuunt omnes. Eloquentißimum quidem illum vocat Plinius: & illud eximium in eo fuiße ait, vt* σεμνῶς *diceret.*

Demonstrat D. Hieronymum Suetonium nõ laudare.

** At Suetonium S. Hieronymus laudat. Magnum testimonium, si laudat. Non enim sanctitate tantum Hieronymus, sed & eruditione & iudicio præstitit. Quo modo igitur laudat? Eadem libertate scripsiße eum ait Cæsarum vitas, qua ipsi vixerunt. Non magna laus, si*

laus est: sed ego laudem esse non puto: Quid enim laudis habet, cum Cæsares in summa licentia atq; impudentia vixerint: orationis turpitudine, ipsorum flagitia æquasse, quæque illi perpetuis tenebris operienda patrarant, ea nuda & prætextatis verbis in lucem & in aspectum hominum protulisse? Itaq; nihil apud Suetonium frequentius legas, quam exoletos, & spintrias, & cellarios, & nubentem Neroni Sporum, Doryphoro Neronem: voces etiã, quas in illis flagitijs miserint: quasi hæc scire posterorum interesset: quorum cõmemoratione non scriptorem modo, sed ipsas chartas erubescere oportebat cum hæc interim ita subtiliter ac particulatim persequitur, vt docere voluisse videatur. In Tacito nihil simile reperias. Talia aut præterit, aut ita significat, vt odisse & abhorrere videas, non, vt illum alterum, cupide in eis immorari. Inter Vopiscos igitur & Spartianos, & Lãpridios & eiusmodi vitarum scriptores Suetonius emineat, illa se iactet in aula: hoc cæteris melior quod ætatis beneficio, melius quam illi latine loquitur: ad Taciti quidem gloriam aspirare, aut se cum eo conferre si voluerit, omnium eruditorum conuicio vapulabit. Equidem quod ad me attinet, Suetonij lectionẽ, nõ minus quam Catulli aut Martialis adolescentibus perniciosam, etiam confirmatæ ætatis viris periculosam puto.* At mendax est in historia Tacitus. Mitto quod si hoc maxime constaret, eum historicorum more, aliquid interdum esse mentitum, non tamen id valde nobis curandum esse arbitrarer. Non enim quæ ab eo narrantur eiusmodi sunt, vt piaculum sit, quid quam in eis, quod verum non sit pro vero credidisse. Sed tamen quis eum mendacij accusat? Vopiscus. Quis iste Vopiscus qui l hominis*

Quibus Suetonius præferendus.

Suetonij lectio adolescẽtibus perniciosa

Veritas historiarum à Tacito.

Inuehitur in Vopiscũ

Vobiscum. minis est? Quid Suetonij Simius, longe tamen ab eo distans: qui, cum se aliquem videre vellet, affirmauit, neminem scriptorum, quantum ad historiam pertineret, non aliquid esse mentitum: gloriatusque est, multa se prodidisse, in quibus Liuius, Sallustius, Cornelius Tacitus, Trogus manifestis testibus conuincerentur. Magna huius, quisquis est, Vopisci felicitas, nemo vnquam tam curiose in ipsius mendacia inquiret. Sed tamen quis hoc præstare ausit, ijs quæ hoc hominis somnium in tam luculentis scriptoribus reprehenderet, veriora esse ea, quæ ipse cum suis testibus protulisset? Quis autem, vnquam historiæ scriptor hanc notam effugere potuit? Non tantum apud Theopompum, & apud Herodotum historiæ patrem dicuntur esse innumerabiles fabulæ: sed & ipse Thucydides, qui ea scripsit, quibus interfuerat, mēdacij à nonnullis accusatur: Thucydides quoque, ait Iosephus lib. 1. aduersus Apionem, vt mu lta mentitus, à nōnullis accusari solet: qui tamen accaratissimum rerum temporibus suis gestarum scripsisse historiam videtur. Aut igitur ne hoc Tacito noceat, aut Thucydidi quoque & Liuio & omnibus denique historiarum scriptoribus noceat. At Tertulianus, non, vt Vopiscus, aliqua Tacitum mentitum esse dicit, sed eum mendaciorū loquacissimum vocat. *Hoc loco peto à vobis, vt me quam potestis, attentissime audiatis.* Eadē enim opera & ad id quod ex Tertulliano adfertur respondebo, & id, quod Tacito grauissimum obijcitur, diluam: eum religioni nostræ inimicum atque infensum fuisse. Ea in vetustissimis illis veræ ac salutaris religionis nostræ præseminatoribus ac propagatoribus pietas fuit, quæ vtinam etiam hodie in omnibus nobis esset, nihil vt ferrent, nihil auribus

Si Tacitus & Cæteri historiographi reprehendendi.

Attentio.

Demōstrat.

Tacitum non esse reijciendū qund religioni Catholicæ

*ribus acciperent, quod Christianum non esset, quæ cum Christiana pietate pugnarent, * ea omnia, respuerent, reiicerent, auersarentur, exsecrarentur. Tertullianus igitur qui quædam apud Tacitũ legisset aduersus Christum ipsum Deum ac Dominum nostrum, & aduersus Christianos impie dicta, quasdam etiam fabulas, quæ tum de sanctissimo viro Moyse, deque religione Iudæorum, vulgo inter imperitos & veritatis ignaros circumferebantur, ad ea respiciens, Tacitum mendaciorum loquacissimum vocauit: eademque res magnam Tacito apud multos conflauit infamiam. Sed nos si hoc tempore nihil legendum putamus, nisi quod cum Christiana religione consentiat, omittamus sane omnes illos veteres Græcos Latinosque scriptores. Exulet à Christianorum scholis Homerus, exulet Hesiodus, & in vno verbo, omnes antiqui poetæ. Nemo est enim ex illis, qui non deorum infinitam quandam multitudinem indicat. Nemo Platonem attingat: eius enim studio deprauatus est Origenes: & fortassis ex eodem fonte fluxere Manichæi. Nemo Aristotelem legat, qui quæ de mundi æternitate, quæ de hominis animo disputat, eis nihil potest Christianæ religioni magis esse contrarium. Repudientur Ciceronis cum pleraque alia, tum libri præcipue de fato, de diuinatione, de natura deorum, manifesta enim impietatis & ἀθεότητος semina continent.*

infensus sit.
Gradatio.
Obiectio.

At illi vixerunt antequã Christus nasceretur: ideoque eis facilius ignosci potest. Primum, si opus sit, docere possim, hanc excusationem non valde ad id quod agitur pertinere. Non enim si antiquiores fuerunt, idcirco minus prauas opiniones inserere in animis legentium possunt. Sed demus hoc aliquid esse. Tollatur igitur Suetonius,

Responsio

nius, in Nerone enim de Christianis contumeliose & impiè scripsit. Non legantur epistolæ Plinij, ostendunt enim eum non tantum abhorruisse à religione nostra, sed etiam iudicia exercuisse aduersus Christianos, & eorum nonnullos adhibitis tormentis ad eiurandam Christi militiam compulisse. Deleatur grauissimus & vtilissimus scriptor, Plutarchus, easdem enim, quas Tacitus de Moyse & Iudæis fabulas habet. Quintilianum rethoribus adimamus. Contumeliose ipse quoque de Moyse loquitur. Iurisconsultis Vlpianum, librum integrum scripsit de pœnis quibus Christiani afficiendi solent. Philosophis Porphyrium, Simplicium, Auerroem. Quis non eorum se Christiani nominis hostem professus est? Medicis Galenum. Historiarum studiosis Ammianum Marcellinum, Eunapium, Zosimum. Omnes hi alieno à Christianis animo ferunt: idque scriptis suis testatum ac consignatum reliquerunt. Quod si eos non tamen propterea reijcimus, quid in Tacitum iniquiores esse volumus? An quisquam nostrum ita infirmus est, vt periculum sit, ne in fide Christiana titubare incipiat, si Tacitum Christianum non fuisse cognouerit? Doleamus potius illius vicem, & grati aduersus Deum simus, qui animos nostros maiori luce perfuderit. † Restant duo ex ijs quæ Tacito ab imperitis obijci solere dixi, quod obscurus & asper in scribendo sit, & quod male latine loquatur. Equidem cum istos de obscuritate Taciti quærentes audio, cogito quam libenter homines culpam suam in alios conferant, quantoque facilius omnia alia accusent, quam semetipsos. Simul mihi venit in mentem senis cuiusdam, de quo vrbane Seneca narrat, eum, cum ætatis vitio minus commode oculis vteretur, in quodcunque

De Taciti obscuritate.

que

que cubiculum ingressus esset, dicere solitum, illud parum luminosum esse maiores fenestras fieri oportuisse. Habeo & ipse, vtinamque diu habeam, amicum hominem inprimis eruditum ita senem, vt annos prope iam quemadmodum ait Iuuenalis, dextra computet. Is cum surdaster ætate factus sit, sæpè mecum verò ac serio questus est, prauam cõsuetudinem inolescere: homines quotidie summißius, quam solebant, loqui. Idem hic quoq; euenit. Qui ipsi tenebras in oculis circumferunt, obscuritatẽ Taciti accusãt.* At asper est, inquit alius: & Alciatas, amicum sibi hominem Iouium laudans, non est veritas vocare historias Taciti senticeta. Eiusdem plane iudicij fuit laudare Iouium & Tacitum vituperare. Nihil tam dißimile quam inter se hi duo. Non displicere non poterat Tacitus, cui tanto opere Iouius probaretur. Quomodo autem potuit homo tam teneris pedibus tam multa spatia per* Taciti vepreta cõficere? Nos vero huic molli ac delicato culcitram substernamus & puluinos rosæ ac violæ plenos eiq; à Deo precemur, vt quicquid calcauerit hoc rosa fiat. Videre mihi videor meretricem Terentianam in cœna pitissantem & dicentem.

De asperitate stili Taciti.

Metaphora.

asperum

Pater hoc est: aliud lenius sodes vide.

Ferat huc ocyus aliquis calicem mulsi, vt flere pupus hic desinat, & contractam ex Taciti asperitate molestiam leuet. Offeramus ei aliquid Iouij, quo se oblectet. Is enim mollis totus est, neq; quicquam habet asperitatis illius, quæ istum in Tacito offendit. Non fluit modo, sed & diffluit. Sic erant olim qui Virgilij versus, vt horridos rusticanosq; culparent, magisque probarent illa molliora & lenius cadentia. Berecynthius Attis, ...

Et raptum vitulo:

nostis cætera recitare enim piget, & vt isti ad asperitatem pauent, sic ego ad ineptias nauseo, infanti melimela: mihi (autẽ misceatur crater ille πιχρίζο . *Sed istæ fatuæ de Tacito conquestiones assecutum esse eum quod volebat ostendunt. Imitandum enim sibi Thucydidem proposuerat, eiusque se in scribendo simillimum esse cupiebat. In Thucidide autem & obscuritas & asperitas notatur à Græcis, & vtraq; inter virtutes illius non inter vitia numeratur. Quanquam enim nuda & perspicua oratio delectat, interdum tamen in scribendo certi cuiusdam generis laudatur obscuritas, quæ rationem à vulgari loquendi consuetudine abducens, ex ipsa peregrinitate dignitatem ei maiestatemque conciliat, & attentionem legentium continet. Hoc quasi velum est, quod profanis obtenditur, sic templa sublustria ingredientes sacro quodam horrore perfundunt.* Asperitas autem illa idem plane est, quod in vino amarities, quæ in quo est, id optime ferre vetustatem putatur. Eam Græci ita esse in Thucydide perpetuã notarunt, vt cum ille in piaculi Cylonij, narratione aliquid ex eã de industria remisisset, Leonem risisse dicant.* Sequitur postrema reprehensio eorum, qui cum Tacito cætera cõcedant, male eum latine locutum dolent: cuius calumniæ Andreas Alciatus & AEmilius Ferretus, quorum tamẽ vterq; multum operæ ad illustrandum Tacitum contulerat, primi auctores fuerunt. Quod si ipsi tam bene Latine scripsissent, quam sibi videbantur, nonnihil fortasse nos illorum commoueret auctoritas. Nunc cum vterq; eorum nonnulla quidem ita scripserit, vt eadem Venus, eadem Suadela, quæ in Barolij labris sessitauerat, ho-*

Obscuritas interdum laudanda.

Asperitas orationis vini amaritiei comparatur.

An Tacitus malè latine loquatur.

rum quoque labris insedisse videatur: in quibus autem cultiores ac comptiores esse voluerunt, ostenderint tamẽ ne quid grauius dicam se aliarum rerum quam deliciarum Latini sermonis intelligentiores fuisse. Quid est cur, quisquã, eorũ de re, in qua non multũ studij posuerant, iudicium magnifaciat? Boni iurisconsulti fuerint, nihil enim impedio. Latinitatis certe non admodũ idonei existimatores fuerunt, ὐδ' ἄρα πως ἦν, ἐν πάντεσσ' ἔργοισι δαήμονα φῶτα γενέσθαι. *Audacter dicet aliquis, de talibus viris iudicas? audacius ipsi de Tacito iudicarunt. Qui autem nos sumus, si omnes in vnum conferamur: quicũque hac tempestate latine loqui videmur, vt de scriptore sapientißimo, nato ijs temporibus, quib. adhuc Romana lingua florebat, plane enim floruit vsq; ad Hadrianum, habito disertißimo ætatis suæ, sequius iudicare audeamus?* * *At aliter loquitur, quam aut Cicero aut Cæsar.* * *Credo, aliud enim dicẽdi genus adamarat. Ne Ciceronis quidem temporibus omnes qui deserti habebantur, Ciceroniani erant. Multa in Cicerone Brutus, multa Caluus, multa Pollio, quædã etiã Atticus, nõ probabãt.* * *At multis vocibus, multis loquendi generib. vtitur, quib. vetustiores vsi nõ erãt. Primũ quæ hac in re culpa est? Non Cicero & multa nouauit ipse, & alijs vt alia nouarẽt, auctor fuit. Cuius est illud præclare dictũ. Quod Catoni licuit, id cur non liceat Varroni? licet huc addas. Quod & illis & alijs licuit: cur nõ licuerit Tacito:*

Obiectio.
Respõsio.
Altera obiectio.

Ego, (ait Horatius) cur acquirere pauca,
Si possum inuideor? cur lingua Catonis & Enni
Sermonem patrium ditauerit; & noua rerum
Nomina protulerit?

Nobis hodie minor eius rei licentia est qui latinam linguam non aliunde quam è libris petere possumus illi

*solutiores ac liberiores, quorum etiam nutrices latine loquebantur. Deinde quis hodie pro certo affirmare audeat cum tanta veterum scriptorum facta iactura sit, ea quæ quibusdam apud Tacitum noua videntur, non apud veteres quoque in vsu fuisse? *Si quis hodie in Germania aut in Polonia natus, qui Italiam nunquam vidisset, nunquam hominem Italum loquentem audisset, paucos tantum quosdā libros Etrusco sermone scriptos legisset, eosq; vt cumq; intellexisset, & omnium vocularum, quæ in eis legerentur, indicem confecisset, deinde incideret in aliquem Florentiæ natum, & educatum, qui inter ciues suos disertissimus haberetur: & eum notare vellet, tanquam male loquentem, quod quædam diceret, quæ ipse in illis paucis libris & in illo suo præclaro indice non haberet, quis nostrum in tali spectaculo risum tenere posset? At qui nihilo minor nostra stultitia est, qui in tanta veterum scriptorum disperditione tam longo temporum interuallo, tanta latini sermonis obliuione & ignoratione, optimæ notæ scriptores damnare non veremur: quorum coqui & muliones multo melius quam omnes nos, latine & intelligebant & loquebantur. Sed hunc sermonem nimis in longum duci video.*

Simile.

Ego vobis hoc omne adseueratione confirmo, multa in Tacito noua istis videri, quæ ex vltima antiquitate repetita sunt, quæque apud Catonem, Varronem, Sallustium quædam etiam apud Ciceronem ipsum leguntur: quædam fortassis nouata: sed ita vt elegantius non potuerint: quædam parce ex Græco fonte detorta, quibus oratio ipsius, tanquam modice asperso sale suauissime condiatur. Et hoc quoq; habet simile Thucydidis, in quo Græci Critici, quasdam voces antiquas, quasdam ab

Authoris de Tacito iudicium.

ipso

ipso cusas & nouatas notat.† Executus sum omnia quæ proposueram. Quod si docui, & Tacitum in pulcherrimo argumento esse versatum; & frustra fidem illius in dubium vocari: neq; debere nos absterreri ab eo legendo, quod iniquus Christianis fuerit: & puerile esse quod quidam de obscuritate ipsius & asperitate conqueruntur, & desipere qui eum male latine locutum putant: quæso obtestorq; vos ne oblatam vobis hoc tempore euoluendi præstantissimi scriptoris occasionem, frustra eam fortassis olim desideraturi amittatis. Conclusio.

ORATIO XV.

Cum peruenisset ad Annalium librum tertium.

Habita Romæ III. Non. Nouemb. M.D.LXXXI.

QVOT ANNIS mihi euenire consueuit, Auditores, vt cũ post illã solẽnnẽ quatuor mẽsium vacationem, quæ nobis ob æstiuos calores tribui solet, redeũdum est ad munia, torpeat animus, titubet lingua: vt neq; quid dicã, facile reperire possim: &, cũ quid reperi, verba quibus id explicẽ, abdere quodammodo se ac refugere, non, vt prius, vltro se offerre, & suapte sponte fluere ac decurrere videatur. Id si mihi euenit, qui & quadraginta propemodũ annos in hoc publico dicendi ac docendi munere versatus sum, & idipsum tempus quod ad otiandum conceditur, ita consumo, vere vt dicere liceat, nunquam me minus otio-

Exorditur à difficultate orandi post diuturnam cessationẽ.

otiosum esse, quam cum maxime esse licet otioso: quid putatis euenire ijs qui, vt alia omnia maiora habeant, vsum quidem certè tantum in dicendo non habent? Neque me fugit hac in re culpam videri aliquam posse etiam ingrauescentis ætatis, quæ decrescente indies naturali calore, spiritus quoque ipsos torpore quodam alligat, nec corpus modo, sed & ingenium segnius reddit, sed tamen, dum superioris vitæ cursum relego, recordor, quod nunc seni contingit, idem fere, iucundum cum ætas florida ver ageret, contigisse. Satius igitur & magis ingenui animi fuerit, culpam nusquam alio deriuare, sed, vt græci dicũt, αἰτιᾶσθαι τὸ αἴτιον, *& fateri illud quicquid est incommodi ac difficultatis, non aliunde, quàm à nimis diuturna cessatione proficisci. Quid enim? nonne idem etiam adolescentibus euenit? Qui si aut pilæ lusu, aut armorum tractatione, aut equitatione, aut alijs, quibus ætas illa ducitur, vnũ aut vlterum mensem abstinuerint; ea cum repetunt, primis illis diebus neq; corpus eadem, qua prius agilitate flectere ac mouere possunt: &, quibus magistros antea prouocabant ad ea rudes accedere easq; tum primum discere ac meditari videntur. Qui sermo ob eam causã à me hoc tempore susceptus atq; institutus est, adolescẽtes; vos vt commonefaciam, quantum adsiduitas prosit, quantum intermissio noceat. Illa vires aluntur ac gliscunt: hac carpuntur, ac deteruntur. Illa te quotidie paulatim proficere ac progredi sentias: hac non paulatim: sed magno impetu retro referri, & in peius ruere animaduertas. Non enim eadẽ celeritate discimus, qua obliuiscimur.* **Vt qui ex alio aliquo puteo aquã haurit, vbi magno molimine situlam prope ad eos putei euexit,*

Similia vt probet vsũ in omnib' necessariũ vtilitates assiduitatis intermissionisque incommoda.

Simile.

si pau-

ſi paulum modo funem laxauerit, it ſitula, & deorſum concitatiſſimo lapſu prouoluitur: ſic, qui multis vigilijs, multiſq́; ſudoribus aliquam ſibi facultatem in hoc ſtudiorum genere comparauit, ſi tantillum de ſolita cõtentione remiſerit, poſſum it quicquid partum erat: longiq́; perit labor irritus anni. Neq; enim ſubſiſtere ſaltem licet: quod, vt in malis tolerabilius foret. Simul atque progredi deſieris regrediaris neceſſe eſt. Pecunia ſi otioſa iaceat, vt non creſcat, certè imminuitur, neque quidquam aliud domino perit quã quod lucri fieret, ea occupata. At in artium noſtrarum ſtudijs ſi quam tẽporis partem languori ac deſidiæ dederis, nõ id modo perdis, quod interea diſcere potuiſſet: ſed bona magnaque pars eorum quæ iam didiceras euolat. Agricolæ, ne continua ſatione emacient ſolum, tonſas, vt Poëta loquitur, nouales alternis ceſſare patiuntur: agrique qui hoc modo interquieuerunt, vberiores ex ſe fruges offerre ſoliti ſunt. Alia ingeniorum ratio, nihil ea magis lætificat, quam auidus & inexpletus exactor. Ceſſatione ſterileſcunt: † Ergo vt in leuioris operæ ſtudio proditũ eſt, egregium artificem nunquam ſolitum prætermittere vllum diem quin lineam duceret: ſic eloquentiæ laudem ambienti præcipit, M. Fabius, quotidie dicendum eſſe aliquid, & quidem audientibus doctis. Sed relanguit iã pridem hominum induſtria: reſtinctus eſt vetus ille ad honeſtas artes ardor animorum: nobiles illæ exercitationes, quibus apud antiquos, laudabili æmulatione, iuuenes inter ſe de conſequendo eruditionis ac ſapientiæ principatu contendebant, ita ex vſu & conſuetudine ſublatæ ſunt, vt earum vix vmbrã ac veſtigiũ retineamus. Vt igitur Virgil. ait, minora in dies produci hominum

Diſſimile.

Auctoritate confirmat.

num corpora, quam antiquis temporibus fuerint: quod & tanto ante Homerus dixerat: ita videmus eruditionem hominum quotidie decrescere: vt illi hodie ordines ducant, qui olim vix in gregarijs militibus locum obtinere potuissent. Nam vt illos heroas omittam, Platonem, Xenophontem, Aristotelem, Theophrastum, qui mihi videntur immensitate quadam ingenij omnem rerum naturam complexi, non tantum supra æquales suos extitisse, sed etiam posteris omnem consequendi sui spem sustulisse: † quis post Plutarchum extitit, qui veræ ac solidæ eruditionis copia & varietate ita cum eo comparari queat, vt non longißimo interuallo abfuturus ab eo sit, quemcunque illi proximum esse volueris? Quem ille Poetam veterum, quem oratorem, quem historiæ scriptorem non ita triuerat, vt edidicisse videretur? Quam philosophiæ partem non ita tractauerat, vt nemo postea tantum in vna eminuerit, quantum ille in omnibus? † Nam quod quidam nuper magni in vulgus nominis, sed non magni pretij medicus in quodam insulso ac ridiculo libro suo dicere ausus est, Plutarchum grammaticum modo, non etiam philosophum fuisse, vsus est videlicet ea libertate, qua insanis tribui solet, vt cum quidlibet in quemlibet dixerit, nemo laboret, ostendit cerebrum suum, si quod modo illi cerebrum erat, medico eguisse, cum illa scriberet. Sed vt abeam à Plutarcho quem sua magnitudo extra telorum iactum posuit: vt qui eum allatrant, canum lunam allatrantium similes esse videantur: eum igitur vt omittam, & paulatim ad tempora nostra propius accedã, quis post Claudium Galenum fuit, qui ad illius aut admirabilem in omni genere doctrinã, aut singularem eloquentiam

Plutarchus laudatur à multiplici scientia

Innehitur in medicũ qui Plutarchum grammaticum tãtũ asserebat.

tiam accesserit? Quis multis iam annis philosophus veterum Aristoteles hypophetarum Alexandri Amonij, Themistij, Simplicij, & talium aut acumen ingenij aut doctrinæ abundantiam, aut orationis dignitatem adæquauit? Qui cum de rebus in naturæ obscuritate retrusis ac reconditis ita disserenti, vt se à vulgo quam longissimè abducerent, tam multis quasi gemmis multiplicis ac variæ eruditionis distinguebant atque illuminabant disputationes suas, vt etiam qui à seueritate philosophiæ abhorrebant, ipso tamen dicendi genere caperentur. Themistij quidem orationes dum lego, nullum ei sophistarum, qui hoc vnum agebant, vt compte ac politè dicerent, antepono. At hodie plerique eorum, qui se pro philosophis venditant, cum ea docent, quæ cum didiceris duplo stultior sis quam prius: tum in dicendo ita sunt hispidi atque agrestes, vt eos illud quicquid est pinguium litterarum, in culina, non in Schola, didicisse arbitreris.* Adhuc de Græcis loquar: & fuit sane laus hæc mundioris ac nitidioris doctrinæ per diu Græcorum propria. Illic elegantiæ sedes, literarum domicilium, museum orbis, eruditionis emporium. Musarum ac Gratiarum omnium angustissimum quoddam sacrarium fuit: vsque eo dum misera gens, vltione, vt opinor, diuina, quia se ab Ecclesiæ Romanæ obedientia, id est, à Christi iugo subduxerat, ab impurissimo tyranno sub iugum teterrimæ seruitutis redacta est.† Ex illo tempore siluerunt illæ luscinæ quæ cœlum ac terras cantu suo mulcebant: conticuit vocalis ille Sirenum chorus; illi nitidissimi fontes, qui totum hominum genus elegantiore doctrina irrigabant, exaruerunt. Romani & serius attigerunt literas, &, si verum amamus, alijs rebus, melio-

Laus Græciæ, & authorum Græcorũ.

Trãslatio. Quando literæ in Græcia cessauerint.

lioribus forsitan & præstantioribus, nihil enim impedio, sed certè alijs, occupati, minus operæ ac studij ad Philosophiam & ad totum hoc mansuetiorum artium genus contulerunt. Neq; non tamen hi quoq; habuerunt suos, qui planum facerent hominibus nostris ad Græciam hac quoq; in parte adæquandam, non tam ingenium quam voluntatem defuisse. Et hac quidem quam dico eruditionis copia & varietate duo præcipuè commendantur à veteribus P. Nigidius Figulus, & M. Terentius Varro. De quibus, quanti fuerint, eo minus iudicare possumus, quod alterius propè omnia, alterius planè omnia scripta perierunt. Tanta fuit in hominibus insequentis æui socordia, tanta cæcitas peruersitasq; iudicij, vt cum multa studiose ac diligenter conseruata sint, quæ periere præstiterat, ea perierint, ex quibus plurimum vtilitatis percipi poterat. Sed ex ijs qui supersunt, duos præcipue admirari soleo, philosophum Senecam, & naturalis historiæ scriptorem Plinium. Quorum ille cum se Stoicorum sectæ addixisset, non tamen cæteras philosophorum disciplinas neglexit, neq; Zenone, Chrysippo, Cleanthe, Panætio, cæterisq; suis contentus fuit: nec illos modo maiorum gentium, Democritū, Platonem, Aristotelem, Theophrastum, sed hos quoque minutos, & vt cauillator aliquis vocauerit, patellarios philosophos, Epicurum, Metrodorum, aliosq; ex eadem popina, & ijsdem hortis, ita versauit, vt quicquid boni ex eorum vnoquoq; aut ad orationis ornatum, aut ad obscurarum & inuolutarum rerum intelligentiam, aut ad vitam moresq; formandos exprimi poterat, id omne summa diligentia excerptum, libris suis aptissime & elegantissimè insperserit. Cumque Stoicorum,

Præcipui Romanorum scriptores quorum scripta periere.

Laus Senecæ philosophi.

qui

qui ante eum fuerant, arida, strigosa, & impolita, & quasi dumis ac vepribus obsita haberetur oratio, ipse contra in ea comenda, pectenda polienda ita exquisitus & accuratus fuit, vt nimius in eo cultus ac luxuries reprehenderetur. Neq; vlla magis alia res, Quintilianum, grauem alioqui & sapiētem scriptorem, adduxisse videtur, vt de Seneca minus honorificum iudicium faceret, quam quòd iniquo animo ferebat, immo dico illius amore, veteres Oratores iuuentuti excuti de manibus; ipsumque, quòd ne Seneca quidem voluisset, plerisq; iam præ eo sordere Ciceronem. *Nam illud alterum hominis Somnium, siue Gellium eum, siue Agellium vocari placet qui voluit ipse quoq; attollere se & nescio quid de Seneca loqui, nulla re magis quam contemptu ac silentio refutandum arbitror. Iniuriam facit Seneca, si quis pro eo tam infirmis obtrectatoribus respondendum putat. *Illum verò promum cōdum rerum omnium scitu dignarum, illud receptaculum ingenuarum artiū; illum eruditionis Oceanum, C. Plinium, quis vnquam satis pro dignitate vel admirari vel celebrare poterit? Qui nullum vnquam librū vidit, quem non legerit; nihil cognitu dignum legit, quod nō excerpserit: nihil excerpsit, quòd non in literas retulerit. Itaque vnum ipsius opus, quod de plurimis extat, naturalis historiæ, instar ingentis bibliothecæ videri potest. *Sed quo admirabilior & prædicatione dignior illorū industria est, eo magis accusanda nostra omnium ignauia: qui tot adminiculis fulti, tanta librorum copia instructi, tot tamq; illustribus exemplis ad imitandum propositis, torpemus tamen & in inerti atque inglorio consenescere otio malumus, quam per illorum

In Gelliū qui Senecam vituperabat.

Excurrit in laudes C. Plinij.

Ad huius æui ignauiam orationē cōuertit.

vestigia gradientes, explere animos nostros illo suauissimo pastu cognitionis ac scientiæ, & quanto homines cæteris animantibus antecellunt, tanto supra vulgus hominum eminere. * *Non amamus literas, auditores: non amamus studia doctrinæ: nihil altum, nihil arduum, nihil gloriosum cogitamus: quod si faceremus, iungeremus noctes diebus noctibus dies, & discendi cupiditate incensi, omnes corporearum voluptatum illecebras, omnem laboris asperitatem præ doctrina contemneremus.* † *An mercatores opum parandarum gratia, tam multas, tã longinquas, tã periculosas peregrinationes suscipiunt: domum, vxorem, parentes, libros relinquunt: votis fluctibus piratis ac prædonibus vitam suam committunt, perpetuum prope sibi exilium indicunt: nos, si ita sapientiam amaremus, vt illi opes amant, vllum eius comparãdæ caussa laborem refugeremus:?* † *Venatores in niue pernoctant, famem, sitim, frigus, vigiliam ferunt: cum apris, cum vrsis, alijsq; indomitæ feritatis animalibus de vita sæpenumero decernunt ac dimicant: nos, si quanto illi ad prædam, tanto ad eruditionem ardore ferremur, vllam nobis, ne ad eam perueniremus, difficultatẽ obstare pateremur?* † *Insanũ ac libidinosum adolescentem, cum ad puellam quam amabat, aliter peruenire non posset, singulis noctibus mare illud, quod Europam ab Asia diuidit, natando transire solitum accepimus, quod in eo stulta & inconsulta cupiditas potuit, vt, dum potiretur amoribus suis, nihil tanti putaret: cur idem in nobis amor virtutis ac scientiæ si eam vere & ex animo amaremus, non efficeret? Ita est profectò, vt dicã, Auditores.* † *Nihil amori difficile, nihil arduum, nihil imperium est. Neque illi poetæ fru-*

[Margin notes: Anaphora incitat auditores ad sedulitatẽ. — A mercatorum diligentia in opibus acquirendis. — A venatorum laboribus. — Vlt. amoris. — Cur poetæ amori alas dederint.]

tæ frustra alias addiderunt. Volat si quo aliter peueniri non potest. Sed amor sapientiæ nullum vestrum ad ossa tetigit, nulli vestrum medullam animæ facibus suis perußit. Quid quæso, est? quid iste sibi quorundam fremitus vult? AEquo animo accipietis istam contumeliam, iuuenes, an mendacij coarguere ac conuincere me connitemini? Vtinam velitis, charißima mihi capita: posse enim scio, Vtinam vobis Deus istam mentem immittat, vt quasi coitione quadam ac conspiratione facta, mecum hoc anno contendere instituatis, plus ne ego laboris & operæ ad docendum, an vos studij & alacritatis ad discēdum conferatis. † O insuauem mihi & iniucundam pugnam, si vicero: acceptam & exoptatam, si victus discessero. Habituri autem sumus huius certaminis nostri agonothetam Gregorium Pontificem modis omnibus maximum: qui, vt Achilles Homericus prumia & victoribus ponit & victis, ita ipso, pro suo erga honestas artes incredibili amore, & vobis si vincetis, & mihi, si vincar, ampla præmia constiturus est. Quanquam ego quidem, dum vos victores videam, nullum mihi aliud præmium posco, plus enim iampridem sum illius inexhausta liberalitate, quam quantum promerebar, consecutus. † Tu vero, Paule Foxi, vir & generis nobilitate, & splendore vitæ, & dignitatis gradu, & virtute atque doctrina Illustrißime, suscipe patrocinium nostrum Confirmato sanctißimo seni, & floridissimam hanc iuuenum coronam, quam ex ore meo pendentem vides, tum ipsius virtutis pulchritudine inuitatam, tum tuo ac tui similium exemplo incitatam, flagrare studio earum artiū, quarum ipse præcipuus fautor est: & me, quanquam ætate iam ad senium inclinata,

Epiphonema.

Apostrophe ad Paulum Foxium loco perorationis.

nata, & quietis aliquid, post confecta tã multa stipendia, postulante, moriturum potius, quam commissurũ: vt tam prolixæ ipsius ac beneficæ erga me voluntati per ignauiam & fugam laboris parum respondisse videar. Ita adolescentes: iam enim, vt diei tempus est, diutius detinendi non estis: curate animos: & crastino de hac ipsa hora ad persequendos mecum Taciti annales læti atq; alacres conuenite.

ORATIO XVI.

Cum interpretari inciperet epistolas Ciceronis ad Atticum.

Habita Romæ Prid. Non. Nouemb. M. D. LXXXII.

Cur Ciceronis Epistolas ad Atticum interpretãdos, assũpserit.

VIdere quibusdam fortasſis, & deuexa iã in senũ ætate, causam minuendi laboris quærere videbor, qui vsque ante hac in grauissimis præstantissimorum scriptorum libris, eorum qui ad me ventitabant, industriam exercere solitus; hoc anno Ciceronis epistolas ad Atticum mihi sumpserim interpretandas. Ita enim vulgo persuasum est, omnem epistolarum lectionem leue quiddã ac lubricum esse, magisq; ad pueriles animos aliquo literarũ gustu imbuendos, quam ad retinenda grauiorũ virorum studia accõmodatum. De qua opinione, vera nec ne sit, quæremus postea. Nunc hoc dico: si maximè fatear, quæsisse me rationem aliquam, qua, sine vlla vtilitatis publicæ deminutione, pars mihi laboris aliqua demeretur, quis tamẽ eo nomine me reprehendat, nimis eum agrestem atque

in humanum fore.* Nam cũ me populus Romanus hoc prope iam viginti annos viderit ita perpetuo mandatũ mihi munus obeuntem, nemo vt vnquam, qui quidem hanc prouinciam sustineret, aut plures, aut grauiores scriptores, aut maiori omnium ætatum, omniumq; ordinum concursu interpretatus sit: qua inuidia fuerit, natu iam grandiorem, minusq; in dies perferendis laboribus idoneũ mollioris ac remissioris opera aliquid sumere? Vt corporũ sic & animorum non eadem exercitationes omnẽ ætatem decẽt. Cursus, lucta, iaculatio, discus, harpastum iuuenilibus viribus ac lacertis conueniunt, senibus apricatio, ambulatio, gestatio, magis cõgruit. † Veterani olim quanquam sub signis haberẽtur, grauiorum tamen laborum immunes erat. Roscius fabularum actor ita excellens, vt ex eo, quicunq; artificio aliquo longè præstabat cæteris in suo genere esse Roscius diceretur, hic ergo Roscius cum ad senectutẽ peruenisset incidisse numeros ac cantus, ipsasq; remissiores fecisse dicitur tibias. Quòd histrioni licuit, cur honestissimarum artium doctori non liceat? His & eiusdẽ generis alijs argumentis vterer, si quòd huius factum est, mea caussa factũ esse profiterer.* Sed longè alia mihi mens fuit, cum hoc consilium capi. Iudicaui paucissimos libros posse reperiri, ad præstandum id quòd à me exigitur, quodq; ego omni ope efficere molior: accõmodatiores. Certè enim mandatum mihi publicè est, vt vos quantũ in me situm est, ad eloquentiam informẽ. *Rectè autem & verè dicebat Cæsar, delectum verborum esse originẽ eloquẽtiæ. Idemq; multo ante eũ Aristoteles docuerat, qui cum elocutionis præcepta Græce traderet, primam illius virtutẽ esse dixerat, ἑλληνίζειν id est,

Reijcit à se inuidiæ suspicionẽ.

Olim senis à grauioribus laborib. liberari erant.

Exemplo comprobatur.

A minori ad maius ostendit se non vicandi laboris causa hos libros assũpsisse.

Delectus verborũ eloquentiæ origo

est, Græce ita loqui, vt oratio nihil barbarum, nihil insolens, absonum, peregrinum habeat, sed & singularum vocum elegantia & earum structura ac collocatione, natam esse se in media Græcia ostendat. Qui ergo latina lingua eloquentes esse meditantur, ijs hoc primum elaborandum est, vt latine, pure, & quam maxime ex veterum Romanorum vsu ac consuetudine loquantur. Nolite autem putare, laudem illam, quæ quasi sanitate, & integritate, ac castimonia latini sermonis continetur, aut paruam aut facilè parabilem esse. Cum post restitutas à Medicea potißimum familia literas infinita quædam vis extiterit hominum in omni genere eruditorum: cumq; & nostra & patrum memoria homines summis ingenijs præditi tam multam in latine loquendi studio operam posuerint, vt id prope vnum operis habere viderentur: paucißimi tamen, quorum scripta, non dico sermonis vitijs careant, nam hoc quidem illorum nemini contingit, sed aliquam saltem priscæ illius & natiuæ latinitatis imaginem contineant, extiterũt. Vt Græci prouerbio dicunt multos esse qui thyrsum ferant, sed paucos Bacchos: ita multorũ falsa quadam latini sermonis specie inducta & oblita oratio est, paucorum latina. Duo in Italia summi viri duces ceteris ad hanc laudem capessendam, & quasi antesignani fuerunt, Iacobus Sadoletus, & Petrus Bembus: qui etiã propter eiusdem studij similitudinem Christophorum Longolium Belgam in delicijs prope atque in amoribus habuerunt. Non ita multo post magno in pretio fuerunt duo huius facultatis præcipui doctores, Patauij quidem Lazarus Bonamicus, in hac autẽ vrbe Romulus Amasæus: quorum in illo fecunditatem ingenij admirareris, diligen-

Medicea familia literas restituit.

Qui à literis restitutis priscã latinitatẽ sint assecuti.

diligentiam & accurationem requirere: in hoc nihil admodum quod ad boni & ex omni parte perfecti doctoris commendationem pertineret, desiderares. Breui igitur innumerabilis quædam hominum multitudo per Italiam effloruit, qui illorum exemplo incitati, ad horũ disciplina ac præceptis exculti, ad hanc benè latine loquendi ac scribendi laudem incredibili studio incumberent: cum & Venetijs Iouita Rapitius & Patauij Benedictus Lampridius & alij præstantes viri sitienti iuuentuti fontes eloquentiæ recluderent & à principibus maximi honores ijs qui latinam linguam egregiè præter cæteros callerent proponerentur. Et tamen in tanto ardore animorum, tanta ingeniorum contentione atque æmulatione, tantis propositis præmijs, nemo adhuc extitit, cui simpliciter & sine vlla exceptione ea laus tribui posit vt bene latine scripsisse dicatur. Proxime quidem veterum gloriam accesserũt & ij quos modo nominaui, & alij satis multi, neq; immerito commendati sunt aut is qui pauca quidem scripsit, sed in scribendo omnium politißimus maximeque limatus, idemque ab omnibus ineptiis remotißimus fuit Ioannes Casa, aut vir in scribendis epistolis latinis singulari lepore ac venustate præditus. Paulus Manutius. Qui tamen quemadmodum illud consecuti sunt, vt hæc laus verè ac merito propria Italiæ haberetur, eique ceteræ omnes nationes scribendi elegantiæ facilè cederent: ita illud negari non potest, multos næuos, multasq; maculas, quod bona omnium venia dictum sit, illorum omnium scriptis aspersas esse, quæ planum faciant, illos vidisse quidem quid optimũ esset, & viam quæ ad illud ferret ingressos longe processisse: sed longè tamen ab eo quo intendebant, substitisse.

Ioannes Casa & Paulus Manutius ob stylum commendantur.

Obiectioni tacite respondet. Neq; hoc eo dico vt de summorum virorũ gloria quidquam propterea detraham: quas & admiror ipse, & ad eorum persequenda vestigia cohortari vos volo. Sed vt intelligatis, minimè vulgarẽ esse eam laudem; quam tot ac tales viri, tantis laboribus tantoq; studio plenam tamen ac solidam consequi non potuerint. † Nunc quòd dicturus sum, nolim à quoquam durius accipi, sed ita potius vt profectum ab optimo erga vos animo & à singulari quadam mea erga nomen Italicum voluntate. Qui enim in Italia diutius aliquando quam in Gallia, vbi natus sum, vixerim & iampridem in hac orbis terrarum nobilissima vrbe sedes ac domiciliũ collocarim facere neq; possum, neq; debeo, quin & Italiam totam, & præcipuè vrbẽ Romam pari ac patriam pietate ac studio colam. Doleo igitur & indignor cum, quæ laus nostra ac patrum memoria, propria vt dixi, Italorum fuit, vt soli ex omnibus Latina lingua perite ac sciẽter vterentur, eam nunc ita obsoleuisse ac propemodũ euanuisse video, vix vt iam tota Italia pauci quidẽ senes, qui eam vtcunque sustineant reperiantur. Interea exteræ nationes, &: vt vulgo in Italia vocantur, barbaræ hanc possessionem gloriæ, tanquam à vobis pro derelicta habitam, occuparunt: iamque non obscurè Latinæ linguæ vsum & intelligentiam migrasse ad se, relicta Italia, gloriantur. Hanc vos tantam indignitatem feretis æquo animo, iuuenes, ac non potius omnes neruos ingenij contendetis, vt stolidam illam agrestium hominum vobis insultantiũ superbiam retundatis? † Expergiscimini expergiscimini adolescentes: & si quid in vobis Romani sanguinis, si quid auidæ virtutis est, incumbite ad eam gloriam quæ vestri generis ac nominis, propria

Beneuolentiá captat ne indigne ferat quod dicit.

Hortatur adolescẽtes

pria est, ex alienarum gentium manibus extorquendam. Mihi credite, si semel penitus imbibatis perficere, si socordia & ignauia valere iussis, nauiter opus hoc vrgere instituatis, si frenum, vt dicitur mordeatis, breui futurum est, non modo vt nuper amissa ornamenta recuperetis, sed etiam ea magnis ac luculentis accessionibus locupletetis. Ego quidem, quoniam ad pure & emendate eloquendum: quòd huius consilij atq; incepti fundamentum est, nullius omnino libri lectionem vtiliorem, quā epistolarum ad Atticum iudico, quoniam eas latinæ linguæ studiosis peruolutandas, manibus atque oculis conterendas, ad verbum, si fieri posset edifcendas censeo, idcirco earum interpretationem suscepi, nihil veritus eorū stultitiam, qui speciosa vtilibus anteponentes, ita me, quasi quiddam huius loci auctoritate inferius susceperim, criminantur; † At ijdē me superioribus annis cum Aristotelis libros de moribus, cum Platonis libros de Republica, nuper etiam cum Tacitum interpretarer; ita calumniabantur quasi omisfis ijs quæ iuuentuti vtilia forent, ea quærerem ac consectarer, in quibus ostentare me, & vēditare populo possem. Quid istis canibus facias? aut quomodo te aliter, quam contemptu, ab eorum latratibus vindices? Præclarè Aristoteles, cum idē ab alijs auarus, ab alijs prodigus haberetur, argumento id esse ait, eum liberalem esse. Ita isti cum me nunc vt nimis sublimia petentem, nunc vt me iusto inferius demittentem culpare instituunt, vt mihi quidē dum demum medium secare videare efficiunt. † Magis me mouent exēpla eorum, qui memoria nostra primos ordines in litteris duxerunt: quorum vt quisq; doctissimus habitus est, ita plurimū opera

ad linguæ latinæ studium.

In iniquos & maleuolos.

Laudantur epistolæ ad Atticum à præclaris

viris qui eas emendarunt aut illustrarũt.

operæ in his epistolis collocauit: Nunquam me pigebit eis in libris exerceri in quibus duo ingentia decora Italiæ Petrus Victorius, & Paulus Manutius acutißimus Iurisconsultus, Antonius Goueanus, Sebastianus Corradus, Leonardus Malaspina lumen & ornamentũ Galliæ Hadrianus Turnebus, alijq; quos enumerare longũ est, ita desudarunt, vt præcipuam sibi materiam gloriæ in eis emendandis & illustrandis quæsijsse videantur.

Laudatur Sirletus Cardinalis.

Quos si Duces non sequerer, vnum tamen opponerem, cuius auctoritas frangere, debilitare, obterere, omnes contra sentientium remusculos posset. * Huius enim cõsilij mei nõ approbatorem modo & adstipulatorem, sed auctorem ac laudatorem habeo illum vberrimum disciplinarum omnium fontem Gulielmum Sirletum Cardinalem, cuius autoritati dum paream, nunquam magnopere, quid alij de me iudicaturi sint, laborabo.* † Sequitur nunc, vt ijs obtrectatoribus respondeam, qui omnem epistolarum lectionem leue quiddam ac prope nugatorium esse aiunt: quo tanquam lacte puerili non, vt solido cibo, etiam grandiores alij debeant: In quibus hoc primum est quod admirer: cum sermonis vsum vnum de præcipuis à Deo in hominem collatis muneribus esse fateantur, quomodo de scriptione epistolarum aliter sentire poßint.* † *Vt enim sermone inter præsentes, ita epistolis inter absentes animi sensa communicantur. Per epistolas mercatura exercetur, quasi careremus: innumerabilibus commodis careremus: per epistolas pater cum liberis, vir cum vxore, fratres ac propinqui inter se, tum quoq; cum multi inter eos montes multaq; maria interiecta sunt, ita colloquuntur vt vna omnes domi esse videantur: per epistolas & indicuntur, & geruntur bella,*

Altera orationis pars in qua dispu tatur an epistolarũ lectio sit inutilis.

Vtilitates ex epistolis manantes.

Vitæ cõdi-

bella, paces componuntur, inter remotißimas nationes constituuntur societates, fœdera feriantur: amicitiæ, quæ condimentum vitæ est, quo sublato vita quiduis potius quam vita fuerit, nullo magis adminiculo quam mutuis epistolis continetur. Itaq; si epistolarum vsus tolleretur, commercium quoque & naturalis illa hominum inter ipsos societas tolleretur.† Sunt ista: dicet aliquis: sed tamen epistolis sua quisq; negotia committit: graues & arduæ disputationes, & ad quas percipiendas doctore opus sit, epistolis mandari non solent. Hoc si quis de toto epistolarum genere dicere audeat, ablegabo eum ad Platonis, Isocratis, Senecæ & talium epistolas: quæramq; nunquid illas quoque de rebus vulgarib. & cuilibet sine doctoris opera perspicuis scriptas putet: iubeo inspiciat illam quæ à Cicerone ad Q. Fratrem in Asiam missa est; qua vir non eloquentißimus tantum, sed etiam tractandæ reip. peritißimus omnia complexus est, quæ præstari debent ab ijs, qui magnis prouincijs summo cum imperio præsunt. Nam illo quidem argumento vix in tam leui caussa vtendum puto: quod præcipua religionis nostræ mysteria à sanctißimis illis æternæ veritatis doctoribus, qui nobis ad aspiciendam viam, qua iretur in cœlum, facē prætulerunt, epistolis inclusa sunt. Quisquam ne ita impie temerarius est, vt cum illorum procerum, Basilij Nazianzeni, Cypriani, Ambrosij, Hieronymi, Augustini, Gregorij & similium epistolas si minus legerit, extare tamen audierit, totum epistolarum genus contemnere audeat? An in his Ciceronianis nihil simile, scriptæ enim sunt de rebus fere domesticis ac familiaribus simplici & sponte fuso dicendi genere, ad hominem vsu domestico & intimæ fami-

mentum amicitiæ.

Obiectio.

Respōsio.

Obiectio.

Respõsio *familiaritate coniunctũ.† Hoc si faterer tamen eas dignas quas diligenter & accuratè legerentur, esse contẽdere.† Verè enim hoc sapientissimus scriptor Xenophõ, principio eius libelli, qui Conuiuium inscribatur, scriptum reliquit, magnorum virorum non seria tantum, sed & iocosa cognoscere operæ pretium esse: quod ex his quoq; vtilissima ad vitam exempla capiantur.** Narrat alicubi Horatius Scipionem & Lælium interdum discinctos, dum olus decoqueretur, ludere & nugari: Cicero etiam legẽdis ad Lucrinum, Conchis & Vmbilicis animum relaxare solitus. Quis nostrum non quolibet pretio emat, vt interesse talibus ludis queat, & eas fabellas audire, quibus tales viri inter se iocabantur? Præclare Plutarchus in Alexandro, Non, inquit, vt quæq; maximè illustris actio est, ita maxime ingeniũ hominis patefacit: imo vero interdũ exiguum aliquod factum dictumue, aut iocus aliquis magis detegit hominis mores, quam vrbium expugnationes, & pugnæ in quibus multa hominũ millia ceciderunt. At cum principes viri publicis se negotijs subduxerunt, & exclusis admissionibus paucos quosdam deligunt, quibuscum libere ac familiariter iocentur: inuidemus ijs, qui admittuntur ad interiores illorum sermones, eosq; beatos esse, ac cœlum digito contingere putamus: nos si ad Ciceronis & Attici arcana penetrare eosq; nunc iocantes, nunc inter se quæ publicis, quæ domesticis de rebus colloquentes audire liceat, parui id esse ducemus?† sed longè aberrant à verò, si qui res tantum domesticas, & familiares iocos his epistolis contineri putant. Historia illorum tẽporum, quibus imperium orbis terrarũ immutatum est, & vel euersa, vel certè conuersa ea res publi-*

Ex iocis quoque vtilitas.

Probat exemplis

Authoritate.

Non tantum domestica in tres epistolis

publi-

publica qui ita bonis legibus atq; institutis fundata erat, vt in perpetuum duratura videretur, non aliundè melius quam ex his libris percipi potest. Tum prætera Ciceronis admirabilis prudentia, & scientia reip. tractādæ nusquam se magis quam in his epistolis prodit. Quòd ne quis me temporis causa confingere arbitretur: præstantis viri & illorum temporum æqualis Cornelij Nepotis verba ipsa recitabo, quibus suum de illis iudicium posteritati contestatum ac consignatum reliquit. Qui in Attici vita cum inter Ciceronem & Atticum summam coniunctionem animorum fuisse dixisse: Et, inquit res sunt indicio, præter eos libros, in quibus de eo facit mentionem, qui in vulgus sunt editi, sexdecim volumina epistolarum ab consulatu eius vsq; ad extremum tempus ad Atticum missarum: quæ qui legat non multum desideret historiam contextam eorum temporum. Sic enim omnia de studijs principium, vitijs ducū, æmulationibus in Repub. perscripta sunt, vt nihil in ijs non appareat: & facilè existimari possit, prudentiam quodammodo esse diuinationem. Non enim Cicero ea solum quæ viuo se acciderunt, futura prædixit, sed etiam quæ nunc vsu veniunt, cecinit vt vates. Hæc Nepos cuius non vanam esse prædicationem, res ipsa quotidiè ostendet. Ad eas caussas, quas attuli, cur in his epistolis mecum peruolutandis, cupido versari debeatis, accedit hæc quoq;, quam, dubitaui equidem num adferre deberem: ne vineta mea, vt aiunt cædere & de ea ipsa facultate cuius opinio, falsa fortasse: neque enim impedio: sed opinio tamen, ad aliquam me prouexit hominum famam, quippiam detrahere viderer. Sed vincat veritas: quæ alijs omnibus rebus præponderare

tractantur, sed eò etiam magni momenti.

Probat authoritate.

debet

Eloquentia nusquã nisi in epistolis nunc apparet.

debet: præsertim cum de commodis vestris agatur. * *Hodie adolescentes, si verum amamus, omnis prope vsus eloquentiæ, præterquam in scribendis epistolis, ita de medio sublatus est, vt nec vola nec vestigium appareat. Dominabatur olim in iudicijs: regnabat in consultationibus: vincebat fere ea caussa quæ eloquentiorem patronum nacta erat.*

Sed hæc prius fuere: nunc recondita.

(Vt de Phaselo ait Catullus.)

Senes quiete,

Iudicia, Romæ saltem, ita exercentur, vt in eis nullus plane locus eloquentiæ sit. In deliberationibus de magnis & seriis rebus quid quisq; dicat, non quam ornate dicat, attenditur. Recte omnino: neque enim negari potest. Sed tamen isto modo magna disertis hominibus subtracta materia est. Eloquentia, quasi ætatis beneficio immunitatem consecuta, iussa est oblectare se in his nostris scholasticis ac pulueruIentis disputationibus: in sacris concionibus, quæ ad populum habentur: & interdum in gratulationibus quæ fiunt ad principes, aut in eorum funeribus exornandis. Ita ex illis tribus Aristotelis dicendi generibus solum epidicticon, quod olim minimi pretij habebatur, in vsu relictum est. * *Mansit tamen illud, vt qui bene, id est, tum diserte: tum prudenter, & ad res, ad personas, ad tempora accommodate epistolam scribunt, facillime ad intimam principum familiaritatem perueniant, & ad maximarum rerum tractationem adhibeantur, maximis plerumque honoribus augeantur. Hac facultate cum alij, tum Iacobus Sadoletus; & Petrus Bembus viam sibi ad dignitatem summæ proximam munierunt. Nolo de viuentibus dicere:*

Qui disertè epistolas scribũt sibi ad dignitates viam parat.

cere: ne aut adulari videar, aut aliter eos laudem, quã ipsi fortasse laudari se volunt. Vos adolescentes, vestra enim res agitur: satis iam verborum factum est: adiuuate attentione vestra industriam meam: & mihi hoc credite, integritatem latinæ linguæ, cognitionem antiquitatis, prudentiam in rebus gerendis, ex nullo Ciceronis libro posse à vobis melius aut facilius, quam ex his epistolis cõparari *: Cuperem Paule Foxi vir nõ tantum in primis illustris; sed ad illustrandũ hoc sæculum nate, nouo quodam & minime vulgari modo, tibi, quem nihil obsoletum, nihil vulgare delectat, gratias agere quod talis tantusq; vir, omissis negotijs, quibus assidue distineris, honoris mei causa; hodie, multũ deprecante me ne id faceret, huc tamẽ venire volueris. Sed cum animum in omnes partes versaui, nihil quod te dignum sit excogitare possum. Tacebo igitur, & hoc toto genere gratiarum actionis supersedebo. Nisi forte hoc ipsum nouum quoddam gratias agendi genus est. cum is, qui beneficium accepit, magnitudinem illius verbis à se coæquari non posse confitens, conticescit.

Apostrophe ad Paulum Foxiũ.

ORATIO XVII.

Repetiturus libros Aristotelis de moribus.

Habita Romæ Prid. Non. Nouemb. M. D. LXXXIII.

PRIMVM QVIDEM Deum immortalem veneror, auditores, ut si hos viginti annos, quibus huic muneri præfui, pro singulari erga me pop.

In exordio Deũ rogat ut eo quo capit animo,

hoc docendi munus finiat.

Rom. caritate ac beneuolentia, proq; maximis in me cum aliorum Pontificũ, tum præcipue Gregorij XIII. Principis immortalitate dignißimi beneficiis, eo semper animo fui, vt de vtilitate vestra non minus sæpe quam de me cogitauerim, vt nunquam rationes meas vestris antepo∫uerim, vt semper, eam docendi rationẽ tenere studuerim, non quæ aut minus laboris aut plus ostentationis habitura, sed quæ vobis plus veræ ac solidæ eruditionis paritura videretur: ita me, quod reliquum est ætatis in eiusdem muneris procuratione placide ac tranquille exigere patiatur: deinde autem vt nobis omnibus inspiret amorem erga honesta studia, & cupiditate mea in isto ætatis flore discendi, quæ vobis aliquando tum priuatim, tum publice & vtilitatis & dignitatis plurimum allatura sint.

Causa cur id petat.

Quod cum peto, non tantum vestra, sed etiam mea caussa peto. Nam cum quietis ac tranquillitatis meæ cuius & semper natura amans fui, & hac ingrauescenti ætate quotidie magis indigeo, magna pars in eo posita sit, vt à vobis attente ac libenter audiar: non dubito: quin id facile impetraturus sim ab ijs omnibus, qui ipsi prius à se, vt se ament, neq; vnquam per ludibrium & peruicaciam animi & suis & alienis commodis obstare cupiant, impetrarint.

Beneuolentiam captat & attentionem.

Quam spem cum de vobis huius annui curriculi nostri principio, vt si vnquam alias, aut potius maiorem quam vnquam alias, animo perceperim, obsecro obtestorq; vos auditores, vt vel mea caussa vel vestra, vel etiam tot virorum dignitate præstantium, quos hodierno die huc conuenisse & industriæ meæ indices atq; arbitros & modestiæ vestræ testes ac spectatores futuros videtis, eam vnius horæ attentione

ac silentio comprobetis. Etenim qui pulcherrimos & à me semper in prima commendatione habitos libros Aristotelis de moribus ad Nicomachum quos vicesimo abhinc anno ex hoc ipso loco interpretari cœpi, nunc denuo, quod Deo volente ac propitio fiat, interpretari constituerim, cum sciã hoc consilium meum non prius quam hesterno die plerisq; vestrum notum esse potuisse: ideoq; multos esse non modo meditati ac parati vt par est huc venire, sed vix libros sibi prospicere potuerint: decreui hodie quæ illorum librorum propria sunt non attingere: sed vniuerse ac communiter de tota studiorum nostrorũ ratione disserere, & quærere vera ne an falsa sint ea, quæ plerique putant de caussis cur hodie neq; tam docti, neq; tam diserti homines, quam olim fuerunt, reperiantur. Sæpe enim interfui querelis eruditorum & ingeniosorum hominum, qui de temporum nostrorum infelicitate quererentur; quod cum & ingenia nihilo quam antiquitus deteriora sint: & alijs maioribus & magis arduo ac difficiliore in loco positis virtutibus, ætas nostra facile vetustatis gloriam æquauerit, siquidem & rei militaris ductandorumq; exercituum & repub. in pace atq; otio tractandæ scientia, satis multi memoria nostra, qui nulli veterum cederẽt extiterunt: hac molliore, vt videtur, & parabiliore eloquentia & eruditionis laude nemo prorsus exoriatur qui antiquitati controuersiam facere audeat: sed præclare secum actum esse ducant, si qui hoc tẽpore multo sudore multisq; vigiliis hoc consecuti sunt: vt à veterũ præstantia non longissime abesse videantur. Atq; illud quidem facile conueniebat inter omnes, non eandem esse diligentiam in hominibus nostris, quæ in veteribus

Propositio.

Prima caussa cur olim plures quã nunc docti & diserti.

illis, quos admiraremur, fuisset: merito abesse nos ab illorum gloria quorũ non imitaremur industriã: labore venalia esse præclara omnia: iniq; facere qui industriorũ præmia peterent otiosi: neq; esse quod quisquam nostrũ sibi blandiretur: aut cuiusquam è nostris studium & diligentiam cum illa veterum pertinaci & indomita discendi cupiditate contenderet. Illos incensos & inflammatos amore doctrinæ, omnibus sibi alijs voluptatibus interdixisse, rei familiaris curam abiecisse, cibo, potu, somno sapientißime abstinuisse, omne sibi tẽpus perire ratos quod non in studio poneretur, non modo valetudinis dispendio, sed ipsius vitæ periculo bene emi putantes, quod tã feruẽter adamaßent. Nos quod somno, quod voluptatibus, quod auaritiæ, quod ambitioni temporis superest collocamus in literis: & cũ quiduis potius agamus, miramur, impares esse nos ijs, qui hoc vnum agebant. Memoriæ proditũ, est cum populus Athenieñsis decreto cauisset, vt capite lueret, si quis Megarensis pedem in Asty intulisset, Euclidẽ qui indidem erat, Socratemq; ante id decretum audire cœperat, cũ sermonibus illius carere nollet, quotidie cum aduesperasceret tunica longa muliebri indutum & versicolore pallio amictum, capite atq; ore velato, Megaris Athenas ad Socratem commeare, & sub lucem eodẽ ornatu ad suos redire solitum. Tanti putabat studiosißimus adolescens aliqua saltem noctis parte Socratem audire vt ea de caussa & singulis noctibus amplius quadraginta millia passuum conficere, & vitam suam in apertum discrimen exponere non vereretur. Mirum non est tanto nos eis inferiores esse doctrina, quanto doctrinæ amore inferiores sumus. Sed de neglectu bonorum artiũ

[Margin: Veteres amore doctrinæ propria negligebant.]

[Margin: Euclidis amor in litteras.]

& de

& de illo quasi corpore ac veterno, qui iampridem iuuenum nostrorum animos occupauit, & dixi sæpe alias & dicturus sum: si forte dicendo eum excutere & aliquos eorum qui me audient excitare ad vigilantiam possim. Alteram causam esse dicebant qua profectus nostros impedire, quod multo durior ac difficilior esset nostra quã veterum, conditio. Illi enim eum sermonẽ quo in discendis tractandisq; bonis artibus vsuri essent, à nutricibus cum lacte bibebant, à populo condiscebant neq; aut Atheniensibus vt Attice, aut Romanis vt Romane loquerentur sudandum: neq; aut consulendi magistri aut libri peruolutandi erant: à poëtis, quorũ lectione puerilis ætas oblectari & ad humanitatem informari solebat, & in quibus interpretandis nullum fere aliud Grammaticorum munus erat quã vt fabulas explicarent, & aliquas si forte peregrinas voces, quas illi glossas vocabant, & interdum genere quædam dicendi abstrusiora, & à vulgari loquendi consuetudine remotiora indicarent, ab eis igitur prout cuiusq; ingenium aut volũtas ferebat aut ad politicos siue rhetores deducebantur: aut imbuti prius mathematicis disciplinis ad dialecticos & ad physicos sese amplificabant: & verborũ cura liberi ac soluti, ad res modo ipsas intelligẽdas ac peruidendas omnẽ industriam ac diligentiam conferebant. Qui eloquentiam adamarant, ijs theatra, ijs forum, ijs cura pro schola: qui causas diserte agebãt, qui ad populum verba faciebant, qui sententia de publicis negotijs dicebant, pro magistris erant: vnum aliquem ex eis deligebant quem colerent, quem sectarentur, cuius ad exemplum se conformarent, cuius cõsuetudine & disertiores fierent, & sapientiores. Nos non

Altera causa.

Veteres Græci & Latini à nutricibus Latinum cum lacte sermonem biberũt.

vnã sed duas peregrinas linguas discere cogimur neq; peregrinas modo sed iampridem extinctas quodammodo ac sepultas. Nam si aliqua vrbs, aut aliqua gens esset, in qua vulgo homines Græce Latineue loquerẽtur: mitteremus eo pueros nostros, vt, cũ à teneris vnguiculis sermonis vsum combibissent, grandiusculi de rebus modo ipsis cogitarent. Nunc nobis diutius luctandum ac sudandum est circa principia, & in ipsis, vt ita dicam carceribus, quam priscis illis vt à carcerib. ad metam peruenirent. Nobis antequam Latine ac Græce balbutire poßimus, multa cura, multis vigiliis, multis magistris opus est, & in plerumq; magistris meliorum inopia, vtendum, qui ad id quod se docere profitentur, alijs ipsi magistris indigerent. Ita quam illi facultatem ac copiam sine vllo labore à matribus & à nutricibus, & populo hauriebant: eius nos vt vmbram aliquam consequamur, meliorem ætatis partem in eo consumere cogimur. Itaq; grauis illa conquestio qua nobilis olim poëta Lucanus vsus est in deplorando bellorum ciuilium calamitate.

Heu quantum terræ potuit pelagiq; parari,
Hoc quem ciuiles hauserunt sanguine dextræ;

*ad nostra quoq; studia non inconcinne accommodari potest. Sic enim & nos dicamus licet. Heu quantum rerum ac sapientiæ parari potuit eo labore qui necessario nobis ad intelligentiam vsumq; linguarum capiendus fuit *. Hæc vna ratio tantum apud nonnullos potuit vt publice persuadere conati sint, inutile esse totum illud studium, quod in Græcis ac Latinis literis poneretur. Sua cuiq; lingua philosophandum: vt & illi fecißent Non enim Democritum, Platonem, Aristotelem aut*

Quid mouerit quosdam dicere inutile studium ꝗ Græ-

Hebræo-

Hebræorum aut Ægyptiorũ sermone in disputando aut inscribendo usos esse: Sed eo qui popularibus suis notus esset: neq; Demosthenem Persica aut Macedonica, sed Attica lingua habitum eloquentem: meram insaniam esse tantum operæ ac temporis perdere, ut cum sermonem intelligamus, eoq; utamur quo uti homines multis ab hinc sæculis desierunt. Ne Demosthenem quidem aut Ciceronem curasse, illum quomodo Cecropis aut Thesei, hunc quomodo Euandri aut Romuli temporibus cives sui locuti essent: sua quemq; non gentis modo, sed & ætatis sermone contentum esse oportere. Addebãt ideo facilius factu esse hominib. Italis quod præclara illa Græcorum Latinorumq; monumenta, iã pleraq; omnia in eam linguam, qua vulgo utimur, cõversa essent: ut illo peregrinitatis quasi cortice aut putamine detracto nucleis vesci & ut osse confracto succum ac medullam ipsã exsugere liceret. A qua opinione quoniam ita dissentio, ut avocandis à Græca ac Latina linguæ studio adolescentibus ipsa fundamenta disciplinarum convelli ac labefactari putem: neq; ullam pestem præsentiorem, aut ullum certius exitium omnibus ingenuis artibus adferri posse arbitrer, quam si linguæ illæ quæ quasi sacraria quædam earum sunt, negligantur: exponam hoc loco breviter caussas iudicij mei: efficiamq; si potero, ut linguas quidem illas omni studio dignißimas esse, sed multa hoc tempore in earum tractatione peccari, liquido intelligatis *. Duæ præcipue mihi quidẽ caussæ esse videntur, adolescẽtes, cur & Græcam & Latinam linguam amare, & in earum utraq; præcipuum studiũ ponere debeamus. Una quod Græce & Latine, Græce quidem & plures & præstantiores,

cis aut Latinis datus.

Refellit eorum insulsã opinionem.

Duæ caussæ ob quas lingua Græca amanda & Latina.

sed tamen latine quoque sat multi, eiusmodi viri scripserum, vt propter admirabilem quandam sapientiam, quæ illi tanto supra cæteros mortales floruerunt, vt aliarum gentium homines cum eis collati, idiotæ quidã & agrestes fuisse videantur, dignißimi sint, ad quos intelligendos omnis ab omnibus elegantioris ingenij hominibus opera conferatur. Nam si Platones, Xenophõtes, Aristoteles, Theophrastos, addo huc etiã Plutarchos, Galenos, sed quo plures nomino, eo plures occurrunt, digni qui nominentur, si tales etiam viros Italia extulisset, quas cogitationes suas perscripsißent eo sermone quo vulgo Italia vtitur, non eo qui proprius esset, ne sic quidem veteres illos sapientes patres ac duces negligendos dicerem: sed tamen æquiore animo ferrẽ, si quis Græco sermone accuratius discendo supersedere vellet. Nunc cum dominata & vernacula omnia tanto iaceant infra illorum dignitatem quanto imæ maximeque depressæ conualles infra edißimorum, cœloque, vt poëtæ loquuntur minantium montium cacumina: quis iste tam mollis ac delicatus, quis tã ab omni vera pulchritudine auersus est, qui laborem non maximum neque fortasse tantum quantus vulgo putatur ad illos maximos viros intelligendos capiendum neget? Quod & ipsum de vetere Latina lingua dictum accipi volo. Nã ita me ille amet omnium præpotens Deus, auditores, vt ego vobis de meo sensu libere atque ingenue loquar. Si ex latinis scriptoribus neminem haberemus præter Ciceronem, Virgilium, Senecam, Liuium, Plinium, Tacitum & constat multos esse alios, qui in idem album referri queant: sed si eos solos haberemus, iusta tamẽ mihi caussa videretur, & cur ad eos intelligendos linguã lati-

*latinam auide disceremus. Nunc accedit alia longe grauißima, quæ nos incendere vtriusq; studio debeat. Nam cum earum linguarum, quarum vsus eruditis cum vulgo communis est, vnaquæq; & certis & angustis limitibus circũscripta teneantur, harum de quibus agimus vsus toto propemodum terrarum orbe diffusus est; Italice loquentem soli Itali intelligent: qui tantum Hispanice loquatur, inter Germanos pro muto habebitur: Germanus inter Italos nutu ac manibus pro lingua vti cogetur: qui Gallico sermone peritißime ac scientißime vtatur, vbi è Gallia exierit sæpe vltro irridebitur *: qui Græce Latineq; sciat, is quocunq; terrarum venerit, non intelligetur tantum sed apud plerosque admirationis erit. Atq; hæc caussa vel maxima est, vt Græce aut Latine potius quam Italice aut Gallice scribere, quicunq; id egregie præstare possunt, debeant *. Nam qui scribunt, aut vtilitatẽ publicam, aut gloriam suam sequuntur. Si vtilitatem publicã, certe multo pluribus proderunt, si ea lingua scribant, quæ apud omnes gentes, quibuscum modo aliquid nobis vsus aut commercij est, intelligatur. Gloriam quoq; suam longius, latiusq; diffundent, si ea scribunt quorum pulchritudo ab omnibus populis ac gentibus percipi queat. Vt igitur peregrinantibus optabile esset reperire genus aliquod nummorum, cuius eadem apud omnes æstimatio esset: multoq; libentius vterentur ijs quam illis qui tertio aut quarto quoq; die, cum detrimento & cum molestia mutandi sunt, cum ibi tantum vtiles sint vbi imperat is princeps cuius in ditione cudũtur: ita nemo non videt quanto commodius sit, vti ea lingua quæ in omni gente ac natione reperit aliquos, & quidem non*

Latina lingua ceteris præferenda.

Qui scribunt duo sectantur.

Simile.

ex faece vulgi, sed ex quaq; honoratißimos quosq; à quibus sine interprete intelligatur, quam ijs quæ simul atq; pedem ex hac aut illa prouincia extuleris alios atque alios interpretes requirunt*. Quomodo ex hac florentißima & nobilißima vrbe in omnes terrarum partes, quomodo ex omnibus terrarum partibus in hanc vrbem legationes mitterentur, si aliam linguam, quam eam cuius apud suos publicus vsus est, nemo didicißet? Quomodo in illo augusto ac sacrosancto Cardinalium collegio de grauißimis rebus & quas sæpe ijs solis notas eße expedit, qui sententiæ dicendæ ius habent, deliberaretur, si quod ex nationibus consessus ille constat, totidem interpretes adhibendi forent? Qua in re maiorem Latinæ quam Græcæ linguæ vtilitatem esse fateor, intelligitur enim à pluribus. Itaq; ad vsum latina potior est, ad doctrinæ copiam Græca*. Argumẽta quibus nituntur qui contrariam sententiam tuentur, infirma prorsus & imbecilla sunt. Aiunt veteres illos qui tanta in admiratione sunt sua quemq; lingua philosophatos. Ego autem ita respondeo. Si illis quoq; temporibus lingua aliqua fuißet, communis omnium, qui vbicunq; eßent eruditorum, ignota cæteris, quales hoc tempore Græcam & Latinam esse constant, non est dubiũ quin ea potius cogitationes suas explicaturi fuerint, quam ea quæ vulgo quoq; communis esset. Nã vt Poëtæ vulgus sibi inuisum esse profitentur: ita ipsi quoq; ad mysteria philosophiæ turbam admittendã non putabãt:* ideoque obscurabant ea de industria, alij numeris, alij allegoriis, alij tenebroso quodam dicendi genere, vt ostenderent se sapientiæ tantum studiosis scribere: quæ caussa fuit Aristoteli, cur libros quosdam suos & editos eße, & non

Summa illarum duarum linguarum vtilitas.

Aduersariorũ argumẽta refellit.

Cur veteres scripta sua obscurarint.

*& non editos diceret *. Aiunt Græcam Latinamq́; linguam iampridem mortuas esse. Ego vero eas nunc demum non tantum viuere & vigere contendo, sed, si in translatione perstandum est, firma valetudine uti postquam esse in potestate plebis desierunt. Quamdiu enim populari imperio regebantur: id est quamdiu penes populum erat, vt ait Horatius, arbitrium & ius & norma loquendi, aßidue agitabantur, fluctuabãt, nihil habebant certũ, nihil stabile, vnum seculum eodẽ vultu durare non poterant: nunc ex quo ad optimates, vt ita dicam, redacta sunt, & certis à scriptoribus petuntur, certis regulis ac præceptionibus continentur multis iã sæculis fixæ atq́; immutabiles permanent. Si in vulgi potestate mansißent, hodie Ciceronem non intelligeremus: quemadmodum ne Ciceronis quidem temporibus intelligebantur ea quæ regnante Romulo aut Numa scripta erant; immo vero ipsas XII. tabularum leges pauci qui intelligerent reperiebantur. Et videmus quæ vulgari lingua abhinc quadringentos aut quingentos annos scripta sunt, hodie non intelligi.* Contra aduersarios vtrãque linguã nunc demũ viuere ostendit.

vt sylua folijs, (ait Horatius,) pronos mutantur in annos,
Prima cadunt: ita verborum vetus interit ætas:
Et iuuenum ritu florent modo nata, vigentq́;

*Illæ igitur linguæ quotidie moriuntur, quotidie nascũtur quæ pendent ex libidine imperitæ multitudinis: quas autem ex populi seruitute eruditorum vindicauit, illæ non viuunt tantum, sed immortalitatem quodammodo & immutabilitatem adeptæ sunt. At quod temporis in linguis discendis consumitur, melius rebus ipsis cognoscendis impenderetur *. Hoc argumẽtum* Responsio. Postremum

argumẽtum. *tum ita demum aliquid valeret, si ab aliis scriptoribus verborum elegantia, ab aliis rerum cognitio peteretur. Nunc ita nobis à Deo consultum ac prospectum est, vt qui Græce Latineq́ politissime scripserunt, iidem etiã sapiẽtissime scripserint: vt nõ ab aliis verba, ab aliis rerum cognitionem petere oporteat; sed vtraq́ ex iisdem fontibus eodem tempore haurire liceat.*

Obiectio alia ex præcedenti argumẽta. *At omnia aut è Græco sermone in Latinum aut etiam ex vtroq́ in eũ qui laniis quoq́ & salsamentariis notus est conuersa sunt: ita vt aut neutro illorum opus sit, aut certe altero tantũ *.*

Responsio. *Heu me miserum. Cur nos huius loci consuetudo fert, vt possim, quantum cuperem arbitratu meo dicere. Quomodo ego istos acciperem, qui interpretib. fidunt? Sed quanto id facere temporis angustiæ prohibent polliceor vobis me, quæ dabitur dicendi occasio, in hoc argumento versaturum esse, & ostensurum, quam necesse sit in crassissima rerum ignoratione perpetuo versari eos qui præsidio interpretum freti Græcæ ac Latinæ linguæ studia negligunt: simulq́ indicaturum quibus in rebus à plerisq́ in studiorum caussa peccetur: quæq́ veræ caussæ sint, cur ætas nostra tantopere veteribus cedat *.*

Peroratio cum adhortatione & gratiarum actione. *Vos auditores efficite, ne vobis prior illa caussa, quã dixi torporis ac negligẽtiæ noceat. Afferte huc amorẽ doctrinæ; afferte diligentiam & attẽtionem: ego, vt quotidie vobis res attentione digna affatim suppetant prouidebo. Idq́ eo magis, quod in his Ethicorum libris tantum vsq́ à puero studii posui, vt nisi aliquid expectatione vestra dignum præstitero, recusare non debeam, quin huius loci amplitudine parũ dignus habear. Vos vero ornatissimi viri ignoscite si quod à vobis tã benigne auditus sim, ne gratias quidem*

dem vobis agendas putem. Nam siue oratio mea vobis molesta fuit, eo molestior erit quo eam longius protraxero: siue quod magis cupio, quam spero, iucunda, videor iam vobis gratiam aliqua ex parti retulisse.

ORATIO XVIII.

In studiorum instauratione. De vita ac ratione tradendarum disciplinarum.

PLERIQVE eorum, qui quotannis ex hoc loco verba faciunt, laudare literas, & ingenuas artes, vosq; adolescentes optimi, ad eas toto pectore amandas, accolendas exhortari, atq; incitare consueuerunt. Quorum ego neq; consilium reprehendo, neq; tamen omnia in eo posita esse censeo. Nam, vt si quis bonæ valetudinis commoda exponat, eaq; dicēdo amplificet, atq; exaggeret, & ad eam omni studio conseruandā homines cohortetur, neq; tamē admoneat, quo genere victus quibusq; exercitationibus, ea maxime comparari, ac contineri debeat, nō valde vtilis videri poßit illius oratio, ita parum prodest, aut laudare eas artes, quas certe nemo vsq; eo perfrictæ frōtis est, vt vituperare audeat, aut ad eas cohortari eos, quos illarum studiis deditos esse constat, nisi indicetur etiam via, qua quis ad illas facillime, ac certißime peruenire poße videatur. Ego igitur quando mihi à te Laurēti Blanchette, vir clarissime, munus hoc impositum est, non laudabo literas: satis eas homines eruditißimi, collegæ mei, ex hoc ipso his Exordium sumit à docētiū consuetudine in studiorū instauratione.

proxi-

proximis annis ornate, copioseq́ laudarunt: ne multum quidem temporis ponam in his nobilißimis adolescentibus ad eas cohortandis, & ipsi per se satis eas amant neque oratione mea melius incitari possunt, quam si te Blanchette intueantur, de te cogitent, in te oculos, animumq́ defigant, cui literarum tractatio senilem in isto ætatis flore non modo grauitatem, ac prudentiam sed dignitatem quoq́ atq́ auctoritatem comparauit.

Propositio.

Quaenam igitur orationis meæ futura materia est? quibus de rebus dicens hunc ornatißimorum virorum, atq́ hanc honestißimorum iuuenum coronam, quam ex ore meo pendentem video demulcere, & delinire conabor? exponam breuiter, ac perspicue à carceribus, vt dicitur ad calcem ei, qui semel imbiberit, in literis, & in bonarum artium scientia excellere, quam studiorũ viam ac rationem tenendam putem. Quod dũ facio, quidam ex vobis decursum iam à se, & confectum curriculum agnoscent, alij quod iter ad vetam gloriam ferat, me monstrante cognoscent. Attẽte, vt me audiatis, ne orandos quidem esse vos puto. Frustra id postulem, nisi attentionem mihi res ipsa, de qua dicere ingredior, conciliauerit, Principio igitur positum sit Græcæ, Latinæq́ linguæ cognitionem instrumentum esse ad parandam doctrinæ copiam hoc quidem tempore plane necessarium. Id qui negant, aut quid verũ sit, non vident, aut contendendi studio in oppugnando, eo quod verum est ostentare ingeniũ acumen volunt. Quare pueris, quẽ informare, ac describere ordimur honesto loco natus, modicis opibus instructus, ea corporis firmitate vt studiorum laborem perferre poßit, ingenio neq́ agresti, & hispido, nec molli, & effœminato, sed eleganti, & adhone-

Attentionem parat à rei vtilitate.

Describẽt puerum ad studia aptum.

honestatem propenso praeditus, sextum aetatis ingressus annum Graecarum latinarumque literarum formas, nomina, potestatem, per ludum iocumque condiscat, & ut id libentius faciat, non metu, ac verberibus, sed praemiolis, quibus aetas illa capi solet, identidem excitetur. Vbi annum in eo posuerit, ut & graece, & latine satis facile, atque expedite legat, iam septimo primis illis, maximeque grammaticorum utriusque linguae praeceptis imbuatur, nomina & verba flectere, ac variare, & inter se sine vitio coniungere, ac copulare discat. Huic uni rei annum septimum tribui velim. Octauo incipiat iam aliquid audire, aliquid legere, idque eiusmodi, ut, & adformandos mores, non nihil conferat, & voluptatem potius adferat, quam magnam ullam animi contentionem requirat. In hoc genere apud Graecos excellunt Aesopi fabulae, & Phocylidis carmina, latini talium scriptorum inopia laborant, nisi quis easdem illas fabulas ab optimo, & eruditissimo viro Gabriele Faerno latinis versibus elegantissime expressas, illi aetati proponendas putet, & addendum, si quod exiguum poëma puris verbis vitae praecepta continens reperiatur. Biennium consequens, id est, nonum, ac decimum annum, ita libentissime posuerim, ut puer matutinis quidem horis libros Xenophontis de institutione Cyri, quibus nihil purius, aut suauius reperiri potest, pomeridianis autem Caesaris potissimum commentarios legat; qui mihi unus ex omnibus latinis ad illam nitidissimam Xenophontis simplicitatem proxime videtur accedere *. Vndecimus annus comoediis detur, ita tamen, ut, ex Terentio Plautoque & multo magis ex Aristophane quidquid inquinare pueriles animos potest, aut resecetur, aut omittatur, Quod idem de omni

Anno aetatis septimo puero utriusque linguae rudimenta tradenda.

Vndecimo & duodecimo poetae tradendi.

omni scriptorum genere semel à me dictum accipi volo Duodecimo Theocriti, Moschi, Bionis Idyllia cũ Virgilij Bucolicis, Hesiodus cum Georgicis, cũ Æneide vtrumq; Homeri poema copuletur. Neq; hos libros totos à præceptoribus exponi arbitror debere. Cum tantum quisq; à præceptore audierit, vt sine cortice, quod aiunt, nare, possit, quod reliquum est suo ipse priuato studio persequatur. Huic rei biennium suffecturũ puto. Illud interea ad magistri curam, & sollicitudinem pertinet, vt puer loquendo quidem quotidie, scribendo autem alternis saltem diebus exerceatur. In ipso pubertatis ingressu primum exercebo eum in eis, quæ Græci vocant progymnasmata, id est, præludia quasi quædam, & præcursiones ad eloquentiam, de quibus extat aureolus libellus Theonis Sophistæ, qui si quid ego auctoritate possẽ, quod annis exponeretur in scholis, & ad præcepta, quæ illic traduntur, iuuenes perpetuo exercerentur. Sed & hoc genus exercitationis, & omnis propemodum recta, & antiqua instituendæ iuuentutis ratio non tantum intermissa iam pridem, sed obliuione obruta, ac sepulta est, quæ si reuocaretur, paucis annis existerent homines, vere copiosi, & eloquentes: isti autem clamatores, qui nomen eloquentum gesticulatione pantomimica, & volubilitate linguæ, & impudentia, sibi pepererunt, ita iacerent vt eos audire nemo posset. Ita igitur exercitatus adolescens totum se Ciceroni dedat, ingurgitetq; se in illum vberrimum, & abundantissimum eloquentiæ fontem, retinens perpetuo illam, quam à principio instituimus cõsuetudinem, vt Græca cum Latinis, similia cum similibus conferat. Ciceronis epistolas cum leget, euoluat eodẽ studio Platonis, Isocratis,

Græca cum Latinis sẽper conferenda.

cratis, Demosthenis, aliorumq; Græcorum epistolas, quæ in duo volumina congesta reperiuntur. Ad libros de Rhetorica scriptos adiungat Aristotelis libros eiusdem argumenti, quaq; eadē de re Dionysius Halicarnaßeus, Demetrius Alexādrinus, Hermogenes, Lōginus, aliiq; Græci literis prodiderunt. Ciceronis orationes, cū Demosthenis, Æschinis, Lysiæ, aliorumq; veterum orationib. cōparet: Dialogus de Philosophia cum dialogis Xenophōtis, & quibusdā Platonis, interea oblectamentum sibi ex alio genere poëtarum petat, Pindarum cum Horatio, Euripidem, Sophoclem, Æschylum cum Seneca, Apollonium, cum Valerio Flacco; epigrammata Græca, cum Catullo, & Martiale cōmittat. Idem faciat in historicis, Herodotū, Thucydidem, Xenophontem, Polybium, cum Liuio, Sallustio, Tacito conferens. Et quoniam neq; historia, nisi cognito orbis terrarum situ, neq; hic sine aliqua mathematicarum artium cognitione percipi potest: his quoq; vtrisq; temporis aliquid impertiat. Cum ad plenam, vt iuris aucto res loquūtur, *pubertatem, id est, ad annos octodecim peruenerit, grauiora meditetur: ac primum quidem analytices, & dialectices præcepta non ex barbarorum lacunis, sed ex Aristotele ipso, & Græcis Aristotelis interpretibus hauriat, in eisq; vere, ac serio biennium exerceatur. Hoc modo præcultus, ac præparatus adolescens, si totam ætatem exigere in otio literario volet, abunde habet, quod agat: nunquam deerit quo pascat animum, etiam si ei ad multa sæcula viuendi spatium prorogetur *. Sin aut ad medicinam, aut ad iuris sciētiam, aut ad Theologiā applicare ingenium cogitat, medicus quidē futurus, in physicis, iurisconsultus in ethicis,

Anno decimo octauo dialectices præceptis incumbat.

Philosophia omnibus scientiis necessaria.

*ethicis, ac politicis, theologus, in vtrisque sese prius diligenter exerceat; hic tertius hebraicas praeterea literas discat: tum eorum quisque ad ea, quae dixi studia accedat. Quocunque enim se naturae suae dictum secutus contulerit dubitandum non est, quin vt longissime, antequam annorum illum numerum expleat, quem Lycurgus adamasse dicitur, quique solus post senarium intra centum perfectus est, talis in suo genere futurus sit, qualem in suo fuisse Roscium Cicero praedicat, qualem apud inferos esse Tiresian ait Homericus Vlysses, quem solum sapere dicit, caeteros vmbrarum in morem vagari *. Exposui vobis adolescentes, iter non ad inanem scientiae opinionem, sed ad verã, & solidam eruditionem, arduum illud quidem, & difficile, sed cogitate nullo modo fieri posse, vt ad excelsa & sublimia per plana veniatur: & alioqui credite hoc mihi, summum in studiis laborẽ summa voluptate condiri. Quod si quis ea, quae dixi praestare omnia non potest, praestet certe quisque quod potest *. Cũ alia multa, quae saepe ex hoc loco audistis ad amandas literas incitare vos debent, tũ mirifica plane, ac singularis erga eas Gregorij XIII. optimi, ac maximi Pontificis voluntas. Qui non tantum pulcherrimos fontes aperuit, quibus vrbem prius aqua penuria laborantem multo, & ornatiorem, & salubriorem, & commodiorem reddidit, sed alios longe pulchriores, & vtiliores fontes disciplinarũ reclusit. Quid enim aliud sunt tot illa Neophytorum, Graecorum, Germanorum, Britannorum, aliarumque gentiũ ac nationum collegia? quam totidem aperti, & expositi omnibus religionis, & bonarũ artium fontes ab inexhausto pontificiae liberalitatis fonte manantes *. Quid*

Apostrophe ad adolescentes per adhortationem.

Laudatur Gregorius XIII. quod disciplinarum fontes recluserit.

A collegiis quae aedificauit.

schola

scholæ nostræ, quæ quotidie tot eruditißimorum hominum vocibus personant, quibus ipse maiora, quã quisq; ante eum Pontifex præmia statuit, quid aliud, quam incredibilem ipsius, erga bonas artes amorem, volũtatemq; declarant? Quid tanta multitudo hominum tam doctrina, quam opibus instructiorum, quibus ipse subsidia vitæ large, prolixeq; suppeditat? Vt non verius Bononia studiorum mater, quam is ciuis, quo ipsa maxime gloriatur, studiorum pater vocari queat *. At tu Laurenti Blanchette, vir clarißime, quando nos ipse in fide, ac patrocinio tuo esse voluit, quantũ apud eos potes, quod te plurimum posse scimus tantum confer ad paternam ipsius erga nos voluntatem magis, magisq; in dies confirmandam, multa iam ipsius benignitate consecutus sumus, ego quidem plura & maiora quam, vt ea me vnquam promeriturum esse confidã: sed alia quædam sunt, nec iniqua, nec inusitata, quæ, vt alibi conceduntur, si hic quoq; concederentur; mirabiliter, & professorum, & studiosorum adolescentium animi ad omnia egregia accenderentur. Ea tibi cum voles exposituri sumus, & per te aliquid nos effecturos esse confidimus. Suscipe cogitationem te dignam: para tibi immortalitatem apud omnes literarum amantes, & gratiam, & gloriam: perfice, vt eæ artes, quæ in te tantum ornamentorum contulerunt, ipsæ vicißim ornamentorum aliquid tibi se debere fateantur.

A premiis quib. viros doctos affecit.

Apostrophe ad Laurentiũ Blanchettum.

ORATIO XIX.

Ad Illustrissimos & Reuerendissimos S. R. E. Cardinales, ipso de Paschæ, cum subrogandi Pontificis caussa conclaue ingressuri essent.

Habita Romæ Anno. M.D. LXXCV.

Exordium sumit à negotio arduo quod Cardinalibus erat impositũ.

*MAGNVM vobis hoc tempore negotium impositum est, Patres Amplissimi, & tantopere ad salutem & tranquillitatem vniuersæ Christianæ Reip. pertinens, & haud scio an vllum sit eorum omnium, quorum, pro summa dignitate, quam in Ecclesia obtinetis, vestra procuratio est, quod singulari quadam & extraordinaria præpotentis Dei ope magis indigere videatur. Declarandum enim vobis ac decernẽdum quodammodo, quis Ecclesiæ in terris summo cum imperio præesse ac præsidere *, quis in puppi sedens, clauum tenere, & periculosissimæ nauigationis cursum regere ac moderari, quis pastores ipsos pascere debeat: cuius, vt supra vulgarem hominum conditionem elati, responsa pro oraculis, nutus pro ratione, iußa pro legibus futura sint.* Quanquam igitur ea sapientia estis: vix vt quicquam vobis subijci poßit, quod non ipsi animo prius conceptum meditatumq́; teneatis: non iniquo tamẽ animo ferre debetis *, vos, ex veteri consuetudine, quid in eligendo Pontifice vobis sequendum sit, etiam ab infimis hominibus admoneri: Nam & nemo ita sapiens est, quin audiendo sapientior fiat: & ea est Dei benignitas, vt sæpe rudibus & imperitis ea dicenda suggerat, quæ audita etiam sapientibus prosint.*

Metaphora.

Cum ipse cum Inferior sit ad eos verba faciat.

Propositio.

Dictu-

Dicturus igitur tanta de re, obtestor vos, per eum in cuius nomine huc conuenistis, vt mihi exigui temporis attentionem ne denegetis. Atq; vt hinc potissimum ordiar; vt arduum ac difficile Episcopi munus est, ita ardua quædam in Episcopo & inuentu difficilia requiruntur. Oportet, ait S. Paulus, Episcopum talem esse, vt in eo nullus pateat reprehensioni locus. Quod si in alijs Episcopis requiritur, quanto magis in eo, qui, quãto Episcopi sacerdotibus, tanto ipse cæteris Episcopis antecellit? Quando autem quisquam reperietur dignus qui in illum honoris ac dignitatis gradum euehatur, si omnes, in quibus aliquid culpari poterit, repudientur? * Sed hoc non ita rigide ac præfracte accipiendum, etiam vetusti Patres monent. Nostra enim omniũ, qui viuimus, ex bono maloq; permista natura est, &, aut Angeli essemus, si nulla nos improbitatis macula contaminaret: aut & Deo & hominibus intolerabiles, si nulla vitiorum nostrorum sordes admista bonitas temperaret. Non igitur quærendus, qui simpliciter omni virtutis genere excellat, nullo, ne leuissimo quidem, vitio aspersus: quem ab omni nota ac reprehensione integritas vitæ nullis vnquam violata maculis vindicet: nunquam enim res ad exitum perduceretur: sed qui & præcipuis virtutibus inter æquales emineat, & vitiis, vt non omnibus, at ijs certe careat, quæ in priuatis hominibus singulas familias, in principibus maxima plerunq; imperia euertunt *. Apud Xenophontem barbarus quiddm adolescens cum equum eximiæ bonitatis quem habebat, libenter se alicui spectatæ virtutis viro, donaturum esse dixisset, idq; apud Cyrum professus esset: Ego vero, ait Cyrus, ostendam tibi, quomodo etiã

Attẽtionem parat.

Qualis debeat esse Episcopus

Obiectio.

Responsio.

Exemplũ de barbaro adolescente.

*si clausis oculis ieceris, aberrare à tali viro non possit. Simulq; enim glebam humo sublatam in confertissimũ agmen amicorum, quas assidue circum se habebat, iacere iussit: &. Quemcunq;, inquit, ex eis contigeris, illi equum tuum dono dato: neq; metus vllus sit ne aberraueris, omnium eadem est virtus, eadem temperantia eadem multis spectata documẽtis fortitudo *. Si de vobis PATRES AMPLISSIMI, idem dici posset, vt è vestro nobilissimo honoratissimoq; consessu, nec ætate, nec vsu atq; experientia rerum, nec auctoritate alius alio magis idoneus esset, ad huius muneris grauitatem sustinendam, non magna deliberatione opus foret: neq; vllam in partem, qui ei ex vobis præficeretur, admodum interesset *. Sin verius est, vt in stellis alia aliam nitore & claritate vincit, sic è vobis alium alio esse iis bonis & ornamentis quæ Pontifici conueniunt, instructiorem ac superiorem: & orandus summis precibus Deus, vt iudicia vestra dirigat: & vobis intendenda omni studio mentis acies, vt ex omni numero vestro eũ potissime, qui aptissimus & publice vtilissimus futurus videtur, deligatis. Ignoscite, quæso si quid paulo liberius dixero. Non enim ea nunc res agitur, vt aurib. seruiendũ sit. Dicenda quæ vrgent, quæ tempus, quæ rei magnitudo postulat. Omnis cogitatio cognationis, amicitiæ, vtilitatis priuatæ, ab hac deliberatione procul abesse debet: ne si quis ita eligitur, & ipse, dum erigitur, corruat, & alios secum in idem exitium præcipites trahat. Si nauigaturi de gubernatore nauis eligendo consultarent, nemo reperiretur vsq; eo improuidus, vt eum qui sibi aut amicissimus, aut sanguine coniunctissimus, ac non eum potius qui intelligentissimus, exercitatissimus*

Applicatio exempli.

Simile à stellis.

Enumerat ea à quibus in hac electione abstinere debeant Cardinales.

Probat à simili.

mus esset, ei muneri præfici vellet: & desiperet, si quis in communi naufragio, quæsticulum aliquem suum sibi saluum ac proprium fore putaret. Vna nauis qua omnes vehimur, Ecclesia est: quæ quantis hoc tempore procellis ac tempestatibus agitetur nemo non videt. Et erit quisquã ita non imprudens modo, sed inhumanus ac impius, qui in tantis periculis, publicæ saluti ac trãquillitati quidquam anteferendum putet? Exulent à vestris omniũ animis talia omnia, PATRES AMPLISSIMI: &, aliis omnibus circumcisis atq; amputatis, ea tantum in futuro Pontifice, quæ bono Pontifici necessaria sunt, requirantur. Ecclesia naui cõparatur.

Videntur autem quinq; præcipua esse, quæ in eo spectari oportet: Sanctitas morum, Prudentia, Doctrina, Caritas, quæ, vt verissime dixit Apostolus, perfectionis vinculum est, & auctoritas, de quibus singulis vbi quã breuissime fieri poterit, dixero, finem dicendi faciam. Quinqs Pontifici necessaria.

Primum igitur requiritur Sanctitas morum, nam quo ore audebit aliena vitia reprehẽdere, qui ipse propriis madeat? Quare si quem auarum, si ambitiosum, si crudelem ac sanguinarium, si libidini ac voluptati mancipatum, vixisse constaret; eius ne habenda quidẽ ratio in his sacrosanctis comitiis esset *. Auarus ciuitates exhauriret, noua quotidie populis onera imponeret, sacra ac profana omnia venalia haberet, omnẽ turpitudinem congerendæ ac coaceruandæ pecuniæ causa susciperet, nihil amplum aut magnificum agitaret animo non de gloria Dei aut vtilitate publica, sed de arcis & saccis suis implendis perpetuo cogitaret. Nõ est, PATRES AMPLISSIMI, non est eiusdẽ ingenii, pecuniæ seruire, & hominibus imperare. Duos impuros Primũ sanctitas morum. Accensent incõmoda quæ prouenirẽt ex pontifice auaritiæ dedito.

homines Statoclem & Dromoclidem aiunt olim tractationem Republ. meßim auream vocare solitos. Non est credibile quenquam ex vobis ita animatum eße: sed tamen procul absit à gubernaculis Ecclesiæ, si quis Pontificatum meßim sibi ac suis fore auream putat. Ambitiosus omnia perturbaret, nihil vsquam quietum eße pateretur, bellis orbem terrarum concuteret: dum suorum titulos, ditionem dignitatem augeret, Sedis Apostolicæ dignitatem in quodlibet discrimen adduceret. Quid crudelem & recenti semper cruore gaudentem, vltionis cupidum, ignoscendi nescium, cui pro virtute ira sit, pro consilio furor, pro ratione impetus: quomodo blandißimo illi ac lenißimo Patris nomini responsurũ eße censetis? Quid si quis se voluptatibus vinciendum ac constringendũ dedit, earumq́ turpißimo famulatu nexus & irretitus, in earum cœno, tanquam sus, perpetuo volutatur, quid ab eo boni sperari, aut quid mali potius non metui poteſt? Libere, vobis audientibus, de vitijs loquar. Nusquam enim tutius est accusare vitia, quam cum ex eis qui audiunt nemo est, qui ad quæ dicuntur suspicari poßit ad se pertinere *. Si quis igitur est, quales plerosq́ omnes ex vestro amplißimo splẽdidißimoq́ Collegio eße cõpertum est: sed tamẽ fieri nullo modo poteſt, vt non & è vobis aliqui excellant: qui tota vita nullam significationem auaritiæ dederit, qui siue in magnis opibus natus, siue è tenuibus ac modicis ad ampliores copiosioresq́ perductus, omnem pecuniæ fructum in subleuandis egentibus positum duxerit: qui arcam suam nunquam turpiter afferentibus, honeste petentibus semper apertam habuerit: qui ad gloriã suam nihil, ad Dei gloriam omnia perpetuo retulit: qui ex

Orationem ad Cardinales conuertit eorum vitã laudando.

fugæ

fugā atq; abstinentia voluptatum maximā sibi voluptatem captauerit: qui veram animi magnitudinem in ignoscendis, non in vlciscendis iniuriis consistere iudicauerit: eius demū mores aptißimi sunt ad personam illius, qui & harum omnium virtutum exemplar perfectißimum fuit, in terris sustinendum.

Secundo loco dixi requiri prudentiam, quam vere Aristoteles ait esse propriam virtutem imperantium. Eam æterna illa veritas Christus Dominus ac Deus noster cum morum integritate ac sinceritate coniunxit, his verbis: Estote simplices sicut columbæ, & prudentes sicut serpentes. Sed videndum est, vt, quid prudētia sit: recte intelligamus: neq; ita eam accipiamus, vt vulgus solet *. Vulgus enim eum prudentē vocat, qui multa simulare ac dißimulare nouit, multa mentiri; eos quibuscum agit, commodi sui causa, fallere ac circumuenire: & quod sibi proposuit, multas vias reperire, quibus id quoque modo adipiscatur. Illa vero prudentia nō est, sed calliditas, versutia, malitia; aut, si prudentia est, carnis prudentia est: quam se perditurum minatur Deus: quam mortē esse Paulus affirmat *. Vera prudentia est, & cognoscere quid petendū fugiēdumq; sit: & quibus vijs tū ipse eo peruenire, tum alios eodem perducere commodißime poßit: nihil temere atq; inconsiderate agere, sed vnaquaq; in re, quid rerum, personarum, locorum, temporum varietas postulet, dijudicare. Miserum qui alium fallit si se idcirco eo quē fallit prudentiorem putat. Fallit ipse se, & induit multo pernitiosiorem in laqueum, quam quo implicare alium parat. Quando prudentior, qui neminem fallit. Deo enim similior est, qui neq; fallere, neq; falli potest.

Secunda prudentia.

Quem vulgus prudentem vocet.

Quæ nā sit vera prudentia.

Tertiũ est Caritas.

* *Dixi præterea in Pontifice requiri caritatem: quam Apostolus & martyrio & fidei montes trãsferenti anteponit. Sine qua nihil Deo acceptum est. Deus enim ipse caritas est. Pontifex autem, communis pater & sit & vocetur, hoc ipso nomine admoneri debet, paterna se caritate erga omne hominum genus esse oportere.*

Addidi doctrinam & eruditionem: quam qui Pontifici necessariam non putant, magno in errore versantur

Quartũ est Doctrinæ.

*. *Iubetur Aaron in veteri lege gestare supra pectus suum doctrinam & veritatem: iubetur nunquam in sanctuarium ingredi sine sonitu: quo significatur voluntatem Dei ab eo debere populis prædicari. Labia Sacerdotis, ait Malachias, custodiunt scientiam. Paulus ad Timotheum, Episcopum esse oportere, ait, aptũ ad alios docendos*

Occurrit obiectioni.

*. *Hæc aiunt quidam Pontifex etiã indoctus per alios obire poterit. Isto modo poterit etiam bonus lyricen esse, qui per alium canat: & bonus medicus, qui ægrotos per aliam curet. Sed satis sit.*

Quintũ est auctoritas

Quid auctoritas.

Breuiter enim de auctoritate dicendum, quam vltimo loco posui: quæq; ex iis, de quibus ante dictum est, efflorescit. Auctoritatem autẽ voco potentiam, apud princepes & apud populos, firma & diuturna virtutis & doctrinæ opinione quæsitam. Ea Pontifici hoc præcipue tempore necessaria est, propter eas gentes, quæ à fide & obedientia sancta Romanæ Ecclesiæ desciuerũt, quæ reuocari ad sanitatem vix poterunt, nisi eius qui præerit, auctoritate moueantur.*

Peroratio per apostrophen ad Cardinales.

Agite igitur, PATRES AMPLISSIMI, *proponite vobis ante oculos cõmunem nostrum omnium parentem Ecclesiam ex vestro nutu pendentem, et quid à vobis statuatur, summa cum cura ac solicitudine exspectantem.*

*ctantem *. Illa vos Christo genuit, illa educauit, illa ad summo proximum honoris gradum prouexit: nulla vobis maior cognitio, quam cum Ecclesia: omnes omniũ caritates vna illa complexa est: quæ nunc dilacerata, distracta, diuulsa, obsecrat vos, vt aliarum omniũ rerum obliti, de sua tantum tranquillitate, qua vestra quoq; continetur, cogitetis. Deus omnium bonorum auctor eam vobis omnib. mentem atq; animum inspiret, vt non cæco & temerario & inuitos etiam, vt interdũ fit, ac quid agatur nescios, rapiente paucorũ motu, sed certo maturoq; iudicio, eiusmodi Pontificẽ concordibus suffragiis, quam primum deligatis, qui dispersa colligat, lapsa erigat, deprauata corrigat, infirma corroboret, turbulenta componat efficiatq; vt neq; PII V. admirabilem illam sanctimoniam vitæ & excelsitatẽ animi: eut Gregorij XIII. inexplebile propagandæ religionis studium, & effusam atq; incredibilem, & omnibus seculis deprædicandam in omnes gentes caritatem ac beneficentiam desideremus.*

Anaphora. Dialytõ cum gradation.

ORATIO XX.

In funere Hippolyti Cardinalis Estensis III. Non. Decemb. anno M. D. LXXII.

QVOD ACERBISSIMVM maximeq; luctuosum spectaculum nobis omnibus obijci poterat, PATRES AMPLISSIMI, vosque ceteri viri ornatißimi, id summi, ac præpotentis

In exordio oẽs Cardinalẽ merito lugere

demonstrat, *tis Dei voluntate, & ineuitabili humanæ conditionis necessitate nobis hodie in hoc templo constitutum videmus Iacentem enim eum intuemur, qui nos omnes iacentes erigere: exanimem qui exanimatis aliquo casu nobis animum addere solebat: vita carẽtem, qui nobis aliisq́ue quam plurimis vitæ subsidia benignißime, ac liberalißime subministrabat. Merito igitur lacrymis omnium oculi madent, merito vndiq́ue omnia suspiriis, gemitibus, lamentationibusq́ue circumsonant, merito non homines modo, sed ipsi huius ædis sacræ parietes omnia mœroris, ac tristitiæ insignia ostentant. Sed quoniam neq́ue conquestionibus nostris quidquam proficere iam possumus, & diuinæ prouidentiæ decreta æquo animo ferre debemus: repetamus aliunde aliquam huius ægritudinis, ac miseriæ leuationem: & Hippolyti Estensis communis nostrum omnium parentis, ac patroni virtutibus, ac laudibus grata commemoratione renouandis, dolorem ex ipsius morte conceptum, si possumus leniamus. Misera quidem hæc ipsa, & acerba consolatio est: quanto enim magis eius, quod amissum est excellentia perspicitur, tanto plus doloris ex illius amißione percipitur, sed neq́ue animus vlla in cognitione conquiescere hoc tempore facilius potest: & rerum ab eo præclare gestarum recordatio hoc saltem nobis solatium adfert, quod magis nos confirmabit in ea spe, quam merito omnes concepimus, vt eum non tam nobis ablatum quam à te, Deus Optime, Maxime, ad meliorem vitam vocatum esse credamus. Atq́ue vtinam doloris magnitudo disertos, ac copiosos faceret.* non dubitanter me, patrone optime, ac clementißime, dignam plurimis, ac maximis tuis erga me beneficiis*

Apostrophe per orationem,

ora-

orationem habiturum esse profiterer, nunc mihi misero omnia præter egregium celebrandi, ac prædicandi tui studium desunt: ægritudine obstupefactus est animus, oculi lacrimando defessi; vox ipsa pectore, ac faucibus interclusis exitum reperire vix potest: si quid in me ingenij fuerat, si quam modicam dicendi facultatem exercitatio attulerat, quæ tibi maiora veris pro amore erga me tuo videbantur, ea, moriente, omnia conciderunt *. Connitar tamen quantum potero, & omnẽ difficultatem pietate superare conabor, siue enim aliquid effecero, gratus erga te quoquo modo potui, fuisse dicar: siue etiam in medio cursu defecero, hoc ipsum mihi gloriæ ducam, quod de tuis laudibus dicere cupientem obruerit atque oppresserit dolor. Nunc *, quæso, obtestorque vos quicunque adestis, vt ad breue tempus intermittatis gemitus vestros: mihique ex innumerabili copia eorum, quæ de illo dici possunt, pauca libanti abductos tantisper, & auocatos ab atrocitate tanti vulneris animos adhibeatis *. Primum igitur, si splendorem, & claritatem generis ad commendationem pertinere volumus, quod ita fere natura comparatum est, vt qui in familia multi præclari, virtuteque, & rerum gestarum gloria insignes viri floruerunt, ex eadem qui sunt, eorum vestigia cupide persequantur: quæ tota Italia gens Estensium principum familiæ, vt illustrium virorum multitudine, vel traditi à maioribus imperij magnitudine, & antiquitate anteponi potest? Sed in hac parte non immorabor, nam plura dicere, & in re tam nota superuacaneũ est & temporis angustiæ prohibent, & qui suis ac propriis laudibus abundant ei ornando aliena conquirere, alienum,

Propositio.

Attentio & beneuolẽtia à multitudine rerum præclare gestarum.

Laudatur à generis nobilitate.

num atq; absurdum videtur, Quamlibet obscura, & abiecta familia natus fuisset Hippolytus, eam ipse illustrare, & ad summum dignitatis culmen extollere potuisset: illustrißima autem, & splendidißima natus cum esset, ita se geßit, vt non minus ipse lucis ac dignitatis maioribus suis attulisse, quam ab eis accepisse videatur *. Cum autem in eo iamtum puerulo mirifica quadam, & ad omnem virtutem, & præcipue ad prudentiam indoles emineret, ita eum Pater optimus, ac sapientißimus Princeps, diligebat, vt nulla de re maioris momenti, nisi adhibito filiolo, deliberaret *. Eo præsente legatos ad se missos audiebat: eo præsente legationes decernebat: intereße eum volebat, quoties de bello, de pace, alijsq; maximi momenti negotijs consilia caperentur. In illa igitur sapientiæ schola, atq; officina educatus breui tempore tantam sibi cognitionem, atq; intelligentiam eorum, quæ ad populos recte gubernandos pertinent, comparauit, vt adhuc adolescens, exercitatißimos senes consilij maturitate superaret *. Itaq; cum in Galliã confirmata iam ætate profectus esset, apud Franciscum Regem non solum nomine, sed omnibus regijs virtutibus omnium nostræ memoriæ regum facile primum, non tam propter gentis nobilitatem, aut propter affinitatem, quam propter singularem quandam tractandarum rerum scientiam tantum auctoritatis consecutus est *, vt in illo amplißimo, & opulentißimo regno, secundum Regem de Hippolyti potißimum Estensis consilio, & sententia omnia gererentur. Neq; vero minus apud Henricum II. valuit, qui ministros omnes per vniuersam Italiam suos, siue legatos, siue exercituũ præfectos, vno verbo cuiuscunq;

Ab amore patris in eum puerulum.

Puer adhuc rebus magni momenti interest.

In Galliã proficiscũtur.

Ab auctoritate qua apud Galliæ Reges valebat,

cunq; generis essent, ex eiusdem nutu, ac voluntate pendere, neq; quidquam, nisi eo consulto, quod quidem alicuius momenti esset administrare voluit *. *Illam vero nobilissimam, totiq; Christianæ Reipubl. salutarem legationem, qua in Gallia difficillimis, ac periculosissimis temporib. functus est, quomodo, ac silentio prætermittere, aut de ea pro dignitate verba facere potero? Grassabatur* * *per totã Galliam infinita quadam facinorosorum hominum colluuies, qui capta occasione propter teneram Caroli Regis ætatem impune sibi omnia licere arbitrati, capitales, ac nefarias de religiõe opiniones publice in vulgum disseminabant. Iamq; res eo progressa erat, vt non infimæ tantum plebis animos suis illis venenis imbuissent: sed & ex ipsis principibus non paucos eadem errorum fœditate contaminassent. Exponebantur propalam, & omnium manibus terebantur Lutheri, Caluini, & aliorum impiorum hominum scripta. Hieronymi vero, & Augustini, & Gregorij, & Ambrosii saluberrimæ lucubrationes ab omnibus propemodum, & officinis, & bibliothecis exulabant, in ipsa aula, ac comitatu regio quotidie habebantur hæreticorum frequentissimæ conciones: omnia execrandis illorum cantionibus perstrepebant. Detestandis in Deum, & in Diuos illarum pestium vocibus Catholicorum aures assidue verberabãtur. In tam perturbato, ac periculoso rerum omnium statu Pius IV. Pontifex Maximus diuino, vt credibile est, instinctu nihil satius esse iudicauit, quã vt Hippolytus Cardinalis Ferrariensis, primo quoq; tempore legatus in Galliam mitteretur. Suscepit onus legationis Princeps maximo animo præditus: neq; deterritus est,*

Alegatiõibus susceptis.

Misera conditio Frãciæ: initio regni Caroli Regis.

est, aut imbecillitate valetudinis, aut longitudine itineris, aut anni tempore, erat enim ardentißima æstas, qua tempestate etiam qui firmißimi sunt, neq; Romam venire, neq; Roma exire tutum putant, aut periculis, quæ sibi noctesq; diesq;, & aperta vi, & ex insidiis ab hæreticis imminere intelligebat *. *In ea legatione alios ex hæreticis auctoritate deterruit, alios ostensa aliqua spe commodorum, eo vnde abierant reduxit, multa dißimulauit, multa pertulit, multa palam, & directo, multa latenter, & artificiose molitus est, quæ ad illius regni salutem pertinebant: neq; prius destitit, quam pulsis ex aula hæreticis, reuocatis autem iis, quorum, & erga Deum, & erga Regem fides constiterat, bellum deniq; apertum hæreticis indiceretur.*

Quid in ea legatione præstiterit & perfecerit.

Simile.

* *Itaq; vt in seminibus arborum caussa est, ita omnium, quæ postea in Gallia pro religione fortiter, ac fœliciter gesta sunt, illa legatio caput, ac principium fuit. Illud autem admirabile est quod cum alij grauissimi, & prudentißimi homines toto, quod aiunt, cœlo in illius negotij tractandi ratione ab eo dissentirent, ipse aduersus aliorum omnium sententiam suo vnius consilio vsus, ipso rerum exitu docuit, multo sequam illos plura vidisse, multoq; prudentius cogitasse. Vellicabatur interea inuidorum sermonibus, ac rumusculis qui modo patientiam illius, ac lentudinem reprehendebant, modo etiam quædam ab eo, optimo animo, & sapientißimo consilio facta in deteriorem partem interpretabantur. Quos ille despiciens, & operi proposito constanter instans, eorum maledicentiam ipso rerum exitu ita refutauit, vt verißime de eo dici illa poßint.*

Vnus

Vnus homo nobis cunctando restituit rem,
Non ponebat enim rumores ante salutem,
Ergo magisq; magisq; viri, nunc gloria claret.

Sed in hac temporis angustia; multa breuiter attingenda sunt; quæ singula integros libros desiderarent. Atq; hæc quidem, quæ hactenus dixi ad declarandam ipsius prudentiam pertinent. Quid? cetera virtutes, quales in eo, & quam singulares fuerunt? Quis vnquam illo in tota ratione viuendi splendidior, ac magnificentior fuit? Quæ in Gallia, quæ in Italia; & quam sumptuosa ædificia extruxit? Quam multa ingeniose, & solerter excogitata ab antiquis sed postea per posterorum ignauiam obliuione obruta quasiq; sepulta reuocauit? quam multos egregios artifices ad noua excogitanda propositis præmijs excitauit? quis vnquam princeps, quis principis alicuius legatus, quis deniq; magnus, clarusq; vir apud eum diuersatus est, quin sibi à splendido Cardinali, sed à præpotenti aliquo rege exceptus videretur? * & interea in pauperes & egentes homines, quam liberalis, ac munificus fuerit, scitis ipsi ciues Tiburtes, qui, vt illa perpetua, & quotidiana taceantur, meministis eum quotannis, cum morbi, vt fit, æstate in vulgus grassarentur, quotidie mittere solitum, qui omnes ægrotantium domos circumirent, neq; eorum quæ aut ad valetudinem recuperandam, aut ad alendam interea familiam necessaria essent, quidquam eis deesse paterentur. Meminimus, & ipsi, vt se hac quoq; in parte legatus in Gallia gesserit, cum quidquid pecuniæ ex legatione prouenerat, nummum ex eo nullum attigit, sed totum in pauperes erogandum, distribuendumq; mandauit *. Eruditos autem, & excultos literis homines,*

A liberalitate & munificentia.

In pauperes ægros.

A amore quo

In scientiam & viros doctos ferebatur. nes, nemo unquam amauit ardentius, nemo plures domi habuit: nemo largius, aut prolixius fouit. Horum disputationibus epulas suas condiebat, in eis audiendis quidquid à grauioribus curis dabatur otij studiosissime collocabat *. Iam & in eos, & in omnes domesticos, ac

A humanitate & comitate. familiares suos tanta erat facilitate ac comitate, vt cõmunis videretur omnium parens. Cum eis familiarissime colloquebatur, vrbanissime iocabatur: peccãtes paterna potius caritate quam herili potestate, atq; imperio corrigebat *. Nullius autẽ rei æque facile obliuiscebatur, atq; iniuriarum *. Scimus quicunq; cum eo paulo familiarius viximus, multos, à quibus ipse pro summis beneficiis summas iniurias retulerat: cum eos sine vlla molestia, arbitratu suo posset vlcisci, nouis postea beneficiis auctos ab eo, & cumulatos fuisse, pietatis autem, & religionis in Deum, & plurima toto reliquo vitæ tempore, & certissima, ac luculentissima testimonia morti proximus dedit.

Ab amore in inimicos.

A pietate & religione.

Qui cum sibi ex hac vita migrandum esse sentiret, nihil territus, sacerdotem accersiri iussit. cui peccata sua ita confessus; vt eorum vere se atq; ex animo pœnitere, omnemq; spem sibi in diuina bonitate, ac misericordiam constitutam esse ostenderet, interiectis aliquot horis sacrasanctum Domini nostri IESV CHRISTI corpus religiosissime accepit. Inde cum testamentum, nisi quantum certorum hominum inuidia impediyt beneuolentiæ, ac charitatis ergo omnes suos plenissimum condidisset: posteaq; viribus magis, ac magis deficiẽtibus sacro oleo, adhibitis ex ritu Christiano precibus, inunctus esset languida, & moribunda voce ex Dauidicorum psalmorum versib. qui interea recitabantur, cum plura non posset, extrema

saltem

*saltem quæq; verba pronunciant, cum incredibili eorũ omnium, qui aderant dolore extremum Deo spiritum reddidit. O me infœlicem, quãto mihi res secus cecidit, quam à principio cogitaram? Breuis enim hæc virtutum ipsius commemoratio, quam mihi leuationi fore speraueram, ea mihi pectus, effodit *, ea vulnus adegit altius, ea dolorem dolore cumulauit. Quid aliud agere possumus quicunq; tali patrono orbati, ac destituti sumus, quam vt lugeamus, vt modis omnibus testemur dolorem nostrum, vt quod vitæ reliquum est in mœrore, ac lacrymis transigamus? Immo vero aliud, & possumus & debemus.*

Epiphonema.

Anaphora.

Quamuis enim qui tam pie, tamq; Christiane, & vixerit & diẽ suum obierit, eum cœlo iam receptũ esse sperandum est; quia tamen rari admodum ita puri egrediuntur ex corporis vinculis, vt non eis pœnarum aliquid post mortem luendum supersit: earumq; tum aliis piis actionibus, tum præcipue fusis ex animo precibus, & tempus contrahi, & ardor mitigari potest: facere omnes omnia debemus, vt ei modis omnib. opitulemur. Agite igitur quicunq; Hippolytum Cardinalem Ferrariensem, & viuum amastis, & mortuum amatis, coniungite mecum preces vestras, & sublatis in cœlum manibus, ac mentibus liberationem ipsius, ex loco purgandis post mortem animis destinato, si forte ibi adhuc detinetur, à Deo optimo maximo efflagitate. Nullius enim mortuo auxilium desit cuius viui nulli vnquam auxilium defuit. * Christi Iesu humani generis conditor, & assertor, qui nos alios pro aliis orare voluisti, qui tuorum preces, nunquam irritas fore pollicitus es, respice hanc multitudinem afflictam, ac*

Apostrophe cũ adhortatione ad preo orandũ.

Apostrophe ad Christũ.

dolore confectam, & per illa vulnera, quæ pro nobis pertulisti, per illum sanguinem, quem pro nobis in ara crucis effudisti, per illum mortem ignominiæ plenam, quã pro nobis sponte subiisti, tribue hoc nostris omnium concordib. votis, vt famulum tuum Hippolytum Cardinalem Ferrariensem à pœnis, si quibus adhuc obnoxius est, liberatum, eum in locum quam primum perducas, vbi æternis tecum gaudiis perfruatur. Ite domum ciues Tiburtes, nunciate liberis vestris, nũquam, neq; ipsos, neq; ipsorum liberos cuiusquam maioris, aut omni ex parte præstantioris Cardinalis exequias esse visuros.

ORATIO XXI.

In funere Ioannis Episcopij Militiæ Melitensis Magni Magistri.

Exorditur à sodalium amore in Ioannem, & vniuersali moriendi lege.

PRÆCLARE à vobis & ex dignitate vestri ordinis factum est, nobilissimi & fortissimi milites, quod optimo principi IOANNI Episcopio, Magno sodalitatis vestræ Magistro, funus quibuscunq; potuistis rebus ornatissimum, amplissimumq; duxistis, quodq; & pietatis in eum vestræ, & doloris quem vobis mors ipsius obiecit plurimas maximeque luculentas significationes dedistis. Quanquam enim ille, & ea tum manu tum consilio gesserat, & ad eos honores virtute peruenerat, vt abunde ad gloriam vixisse videretur: & eo progressus erat ætatis vt à vita tanquã ex arbore non per vim euulsus, sed suo tempore ipsa maturitate collapsus esse videatur, quorum tamen

vita, quo diuturnior & publice vtilior visa est, eorum mors nunquam non acerba & immatura videri potest. Sed quando parens ac procreator rerum omniũ Deus vniuersum hominum genus eadem mortalitatis lege deuinxit: ostensaq́ʒ si per ipsius praecepta gradiamur, certa spe melioris vitae, commorandi nobis hic, diuersorium, non habitandi dedit: grates ei potius agere debetis, quod talem vobis Ducẽ ac Rectorẽ dederit, quodq́ʒ vos illius virtute, ac bonitate tam diu frui voluerit, quam iniquiore animo ferre, quod eum quanquam viridi & cruda senectute, consumptis tamen corporis viribus, tot laboribus, periculisq́ʒ iactatum, ex hoc inquieto ac turbulento salo, in illum vt quidẽ spes est, placidissimum portũ perpetuae quietis ac tranquillitatis eduxerit. Nemo eo animo nauigat, vt semper nauiget, nemo militare discit, vt nunquam militare desinat; nemo ea mente laborẽ suscipit, vt alios ex aliis labores perpetuo excipiat. sed & qui nauigat portum, & qui militat victoriam, & qui laborat quietem, atq́ʒ otium spectat, quo qui peruenire; gratulari eis amici, non dolere illorum vicem solent. Vita haec iactationis ac periculi plena nauigatio est; militia omni aerumnarum ac laborũ genere exercita, inexhausta molestiarum vndiq́ʒ succrescentium seges; quam vt quisq́ʒ optime nouit, ita minimi facit, quam is demum tutissime possidet, qui de ea cum Deus voluerit ponenda saepissime cogitat, quae neq́ʒ stultis vnquam longa est, neq́ʒ sapiẽtibus breuis. Non vt in ea diu maneamus, sed, vt ex ea feliciter exeamus optãdum est. Nunquam viueremus, si hic perpetuo viueremus; & tamen non tantum venia tribuenda est illis lacrymis, quas obitus maiorum virtute praestantium, ex

illorum, qui cum eis coniuncte, amanterq; vixerunt, oculis elicit, sed etiam laudanda ac prædicanda eorũ pietas, qui quacunq; ratione possunt, funera ipsorum ornare & cohonestare conantur. Nam & se quibus artibus illi floruerunt, earundem studio flagrare declarant, & cæterorum animos & cupiditatem eiusdem gloria inflammant; quæ cum à vobis abunde & cumulate Ioanni Episcopio præstita sint, nondum tamen vestræ in eum pietate, satisfactum esse duxistis nisi existeret aliquis, qui hodierno die publice verborum aliquid faceret; ne quid omnino; quod ad exornandam ac celebrandam ipsius memoriam à vobis prætermissum diceretur; id munus quoniam à me potissimum obiri volueritis, parebo voluntati vestræ, & summa tantum capita strictim ac modice attingam, laudes ipsius breui ac perspicua oratione complectar. Primũ igitur ex sodalitatis vestræ legibus, atq; institutis, certissimum ac firmissimum argumẽtum capere posse videor, quo eum, & antiquo ac nobili ortum genere, & eximia quadam minimeq; vulgari virtute præditum fuisse confimẽ. Nam cum legibus vestris cautum sit, ne quis in ordinem vestrum admittatur, quin prius eum & æque ab atauis & paterna & materna stirpe nobilem esse liquido constiterit; quis est, qui cuius in pectore aut in humero candidam illam crucem, velamentum atq; insigne ordinis Hierosolymitani videat, quemq; suffragij ius habere in comitijs vestris sciat, de illius nobilitate dubitare amplius posit: eodemq; modo de virtute argumentari licet. Nam cum in mandandis honoribus in eoq; præsertim deligendo qui voris summo cum imperio præsit, nullius rei præter quam cognita specta-

[Margin notes: Propositio. — Laudatur nobilitas. — A virtutibus.]

spectatæque virtutis rationem habere soleatis, dubitari de Magni Magistri virtute non potest; quin eadem opera de vestra in ferendis suffragiis: fide ac religione dubitetur. Sed hæc quidem, quanquam magna sunt, huic tamen multa alia cõmunia sunt *. Illa propria, quod septendecim annos natus, quæ ipsa ætas Romanis olim moribus ad auspicandam militiam constituta erat, cum immanißimus hostis Rhodum ita obsessam teneret, vix ut illius seruandæ spes iam amplius vlla superesset, generosus adolescens, cui virtus & pietas, tenerum pectus acribus stimulis perpetuo foderent, relicta patria, relictis suis, iter ingressus est, eo animo, vt cum Rhodum venisset, aut opis aliquid pro virili parte afferret obseßis, aut cum eis aduersus barbaros dimicãs, iuuenili sanguine Christo humanæ salutis auctori litaret. Quo in itinere Messanam aduectus, cum conscensa triremi aduersis vsus tempestatibus, cursum tenere nequiijßet, venit interea in Siciliam, amissa Rhodo, vir æternæ memoria dignißimus Liladamus vestræ sodalitatis illo tempore Magister, qui adolescentuli virtutem efferentem se, & foras emicantem admiratus; adactũ sacramento & cruce candida ornatum ritu vestro inaugurauit, posteaque cum Romam, cum in Galliam, cum in Hispaniam, cum in Melitam proficisceretur nunquam à latere suo discedere passus est. Quid virtutis, quid constantiæ, quid militaris disciplinæ ex aßiduo ac diuturno talis viri contubernio auidißimũ per se omnis honestatis iuuenẽ haußiße credendum est? Mortuo Liladamo alumnus illius disciplinæ Episcopius totos sexaginta annos ita in cœtu vestro versatus est, nulla vt interea aduersus hostes Christiãi nominis ex-

Ab animo forti & generoso.

Quãdo & à quo cruce candida donatus.

A bellis gessit.

peditio suscepta sit, cui ipse non interfuerit, in qua egregiam operam Republic. non nauauerit, in qua non ita se gesserit, vt semper inter pauc[illegible]s singularis ipsius virtus emineret. Testatur illius virtutem Peloponesus; testatur Africa quæ illum altera in Methones, Conones, Naupacti, altera in Tunetis & Turris Regiæ expugnatione, & in illo calamitoso Cirtensi prælio spargentem in hostes funera, nec illorum, nec suo sanguini parcentem viderunt, sed & postea cum in Gallia esset & Melitam obsideri audysset, tanta celeritate vt euolasse eum, non iter fecisse diceres per mediam hostium classem cũ aliquot militibus quibus ipse præerat in insulam magno cum periculo sed maiori etiam hostium admiratione penetrauit. Multa properanti prætermittenda sunt, quæ vel singula nisi copia obstaret satis amplam ad dicendum materiam suppeditare possent. Tantis igitur aßiduis industriæ virtutisq; documentis & multis maximi momenti publicis muneribus, fortiter, prudenter, feliciter, obeundis, ita sibi conciliauit omnium animos, vt qui maximus honos suffragiis vestris deferri potest, anno post salutem hominibus restitutam M.D.LXXI I. pridie Kalend. Februarij sine vllo ambitu absens cõmuni consensu delectus, sit, qui summã potestatem in vniuersam sodalitatem obtineret. Quo ex tempore patentiorem campum exercendæ virtutis suæ nactus, ita impleuit omnes boni principis numeros, vt vestram in eligendo sapientiam, ipsius in regendo sapientia comprobarit. Nam vt a cultu diuini Numinis principium ducam, quod fundamentum omnis virtutis est, nunquam ille vllum diem abire passus est, quo non rei diuinæ interesse, quo non ipse

Præteritio.

Dialyton.

Quando creatus ordinis Magister

Metaphora.

A pietate in Deum.

ipse manibus suis cibum tredecim egenis hominibus porrigeret, ac ministraret. Templum etiam pecunia sua amplißimum & ornatißimum extruxit sacerdotibusque qui rem diuinam quotidie in eo templo facerent mille ducentos aureos nummos annuos attribuit, ibidemq; in monumento pulcherrimo eorum qui ante se in eodem magistratu fuerant, corpora condidit ac collocauit. Et pietas igitur ipsius; & magnificentia cũ ex eis quæ dixi, tum è multis eiusdem generis alijs percipi potest. Quid ergo nunc comitatem, affabilitatem, humanitatem prædicem, quæ tanta erat, vt neminem aut aspectu aut colloquio suo arceret, omnium postulata libenter cognosceret, nihil iusta petentibus denegaret: si quid negare cogebatur, ea tantum vtebantur lenitate sermonis, vt eos quoq; quibus negabat æquos à se placatosq; dimitteret, liberalitatem autem ipsius multis & priuatim & publice salutarem fuiße constat nã, & suis opibus multorum inopiam subleuauit, & viduarum, ac pupillorum quasi communis parens fuit, & multas virgines, multasq; mulieres honesto loco natas, quæ propter paupertatem, conditionem reperire non poterant, dote de suo data collocauit. Quin etiam cum intelligeret à multis inhonestis mulieribus filias aliquas, cum adoleuißent, in eandem turpitudinẽ sibi substituerent, occurrendum manifesto periculo ratus, puellas tota insula conquiri ac comprehendi ußit, & in extructum à se eius rei caussa cœnobium includi, vt illic sancte ac pudice educatæ, suo tempore, aut perpetuam virginitatem Deo vouerent, aut nuptum, si ita mallent, traderentur. Quid iam Xenodochia. Nosocomia, orphanotrophia ab illo vel instituta vel redditibus

A pietate in paupeℯres In templa & Sacerdotes. In mortuos.

A comitate & lenitate.

A locis piis quę extruxit aut donauit.

bus aucta commemorem? Vox me citius, aut dies, quã materia deficiat si singula persequi vellem. In annonæ vero difficultate, sæpe magnam vim pecuniæ egentibus tradidit, sæpe cum magnam frumenti copiam e remotis locis comportandam curasset, eodẽ illud pretio distri- Iustitia. *buit, quo ibi vnde adductum erat, videbatur. Iniuriam vero neq; facere ipse, neque eos qui facerent perpeti poterat. Iudex insontibus optabilis, ijs, qui vel per errorem, vel metu aliquo ac calore animi deliquissent, placabilis, in eos qui certa & obstinata malitia ac prauitate peccasset, plane inexorabilis. Qua seueritate simulque alijs quibusdam, quæ silentio inuoluere satius duco, neq; enim ita eum laudare institui, vt cuiusquam errata detegam, cum in se nonnullorum odia concitasset, effectum est, vt propter quasdam suspiciones exacta iam ætate, Romam à summo Pontifice vocaretur: sed vt exoriente sole nebulas dißipari, & euanescere videmus, sic ipso aduentante, omnes illæ nube-* Ab amore populi in cũ. *culæ suspicionum euanuerunt. In vrbem igitur ingressus est eo concursu omniũ ordinum, ea pompa & celebritate, cum ipse etiam Pontifex eũ quam honorificentissime excipi iußit, vt non ad dicendam caussam venire, sed iam tum pulcherrimum de obtrectatoribus suis triumphum agere videretur. Diuertit ad illud decus, & ornamentum amplißimi ordinis Aloysiũ Cardinalem Estensem, qui, vt sanguine regio editus, ita animo plane regio præditus, eo cultu atq; apparatu dignitatis, ac venerationis plenißimum senem apud se habuit, vt admiratio etiam eos caperet, qui, quæ in alijs admirabilia videntur, ea Cardinali Estensi vsitata & quo-* Facetũ *tidiana esse nouerunt. Itaq; interdum auditus est, optimus*

ptimus senex, cum iocans, vt secura innocentia est, diceret magnam se gratiam debere obtrectatoribus suis: illorum enim opera sibi eos honores Romæ habitos, quos ipse nunquam optare ausus esset, plus multo eos sibi profuisse odio, quam obsequio prodesse potuissent. Ergo cũ eum tota ciuitas in sinu atq; oculis ferret, cum quacunq; incesserat, quasi exemplum quoddam antiquæ virtutis ac probitatis spectaculo esset, cum eum Pontifex libenter audiret, libenter videret, eximia quadã caritate complecteretur, dolore lateris correptus * & intra paucos dies absumptus est, tam placide ac leniter, tanta cum testificatione pietatis Christianæ, vt magnã spem omnibus fecerit, non tam illam mortem, quam migrationem ex mortalitate ad immortalitatem fuisse. Quem enim paulo ante ijs, à quibus grauiter læsus erat, agnito errore veniam petentibus, tam facile ignouisse meminimus; eius quoq; peccatis facile à diuina bonitate ignotum esse confidimus. Quod si quid, vt humana fragilitas fert in ipso vitæ exitu expiandum adhuc eluendumq; superfuit, certo speramus fore vt tam multis Ecclesiæ precibus, tam multis eleemosynis, tam multis oblationibus & tempus pœnæ contrahatur, & ardor mitigetur. * Nũc vos milites fortißimi, qui & viuũ tantopere amastis, & ereptum tum multis honoribus persecuti estis, vnum etiam quiddam illius nomini ac memoriæ tribuitæ, idq; non me sed ipsum viuũ adhuc & spirantem à nobis petere existimate. Fuit antiquitus apud multos consuetudo, quæ quisque viuus maxime amauerat, ea cum illo mortuo, aut cremandi, aut sepeliendi. Vos contra facite. Quæ magnus hic non sodalitatis modo vestræ sed virtutis & officij magister, carißi-

dictum.

A constantia & pietate in morte.

Peroratio per Apostrophẽ ad milites ordinis.

*carißima dum vixit habuit, ea, vt perpetuo conseruetis operam date. A quibus autem illum toto animo abhorruiße scitis, eorum reliquias omnes eodem quo ille tegitur tumulo, condite, eorum fibras elidite, semina extinguite. Amauit ille cum alia honesta omnia, tum concordiam in primis, & animorum consensionem intestina autem odia, & discordias ac dissensiones semper capitales Reipublicæ pestes iudicauit, * Agite igitur viri fortißimi, flores ex omni Christiana nobilitate delecti, columnia virtutis, terrores Turcarũ, firmamẽta ac propugnacula Christianorum, deponite omne studium contentionis, delete omnem memoriam offensionũ, consentientibus ac conspirantibus animis ac defensionem Christianæ religionis incumbite; omnem iram, omne odium, omnem vlciscendi cupiditatem in hostes illius effundite, quæ tam multis hodie tamq; sæuis tempestatibus agitata, in vestra virtute, si concordes sitis, non minimũ sibi esse præsidium putat. Sepelite cũ illo mortuo ea quæ vt in perpetuum sepelirẽtur, sepeliri iam pridem ipse voluisset. Dißẽsionibus enim maxima imperia labefactantur ac corruunt, mutuæ charitatis vinculo etiam quæ per se parum firma sunt, continentur.*

Laudes milit ũ ordinis.

FINIS ORATIONVM MVRETI.

CAROLI

SIGONII ORATORIS DISERTISSIMI ORATIONES SEPTEM:

QVARVM PRIORES QVATVOR SUNT pro eloquentia. Quinta. De Latinæ linguæ vſu retinendo. Sexta: De laudibus Hiſtoriæ. Septima: De Laudibus ſtudiorum humanitatis.

ORATIONVM CAROLI SIGONII PRO ELOQVENTIA,

ORATIO I.

Habita Venetiis Anno cIↃ. IↃ. LII.

CVM multa, magna, atque præclara, Auditores, nobis à diis immortalibus tributa atque conceſſa ſint, nihil tamen, ſapientiſſimorum hominum ſententia, præſtantius, aut illuſtrius, quam, vt nos bene de vnaquaque re ſentire, ac iudicare, & ornate quæ ſentiremus, eloqui, atque exprimere dicendo poſſemus, quarũ rerum tanta vis eſt ad animos hominum ad humanitatem informãdos, vt, cum multæ aliæ nobis cum cæteris animantibus communes impertitæ ſint, his tamen duabus dumtaxat, feris, & immanibus belluis excellamus, cum in

in quibusdã, vt corporis velocitate, & robore, multo illis humiliores infirmiores q; sim⁹, tanta porro illarũ inter se societas, atq; cognatio est, vt disiũctæ forte, separatæq;, si fuerint, vix, qui prodesse hominũ vitæ possit, intelligatur: si quidem ne indisertis quidem prudentibus magna admodum expectari præsidia, & adiumenta queunt: & stulti sæpe loquaces summa incommoda, detrimenta hominibus intulerunt. Ex quo intelligi potest ad optimam rectissimamque vitæ rationem instituendam vtriusque muneris coniunctionem esse maximi necessariam, eaque qui sit adeptus maximum illum quiddam atque amplissimum esse consecutum. Sed, quoniam factum est, vt ex his duabus eloquentiam homines, vel nonnullorum qui ea peruerse abusi sunt, odio, vel eorum, qui eiusmodi gloria floruerunt inuidia permoti omni tempore vehementius improbarint: visa res est haud prorsus à munere & proposito nostro aliena, qui in hanc vrbem ad antiquam Latini sermonis consuetudinem demonstrandam acciti venimus, si paucis eam ex hoc loco; in quem nunc primum publica auctoritate conscendimus, atque in hoc amplissimo huius diei, frequentissimoque consessu iniuste vituperari à multis ostenderemus, hoc enim si dicendo consequi poterimus, non dubitamus quin ad mentes vestras, id quod imprimis optamus, optimarum artium cupiditate accendendas valere plurimum debeat. Quanquam autem dissimulare non possum, Auditores summo mecum pudore ad hãc orationem accedere, quod & in ea ciuitate loquor, in qua vna antiquæ dicendi facultatis, & copiæ non leuiter impressa vestigia cernuntur: & præsantibus viris illis

illis dico, qui in hac ipsa ciuitate summorum oratorum obtinent principatum: me tamen audaciorum, ne scio quomodo, quam meus patiatur pudor, ad hanc disputationem suscipiendum rei, de qua dicturus sum, magnitudo reddit: quam quidem esse, si vtilitas quæratur, oportunissimam, si animi oblectatio, iucundissimam, si dignitas amplissimam facile cuius licebit intelligere, qui antiquissimos oratoris ipsius gradus, ac quasi processus paulo mecum diligentius iam inde à primis eius incunabulis indagarit. Nam primum quidem, (ne longius faciam,) quid erat vnde procreati, & in lucem editi homines, atque illo admirabili, & diuino munere mentis, & cogitationis ornati, maiorem vtilitatem ferre, aut vberiorem voluptatem percipere possent, quam vt ipsi colloqui inter se, & sua ipsorum cogitata communicare: & ea, quæ suæ vitæ necessaria, vicissim tum rogare, tum rogati suppeditare possent? cum genus humanum, in terris dissipatum: libere vagaretur, atque vt nullius loci ambitu, sic nec vllius legis, aut iuris timore coerceretur, sed cæca sensuum cupiditate omnia administraret, & gereret, quid ei vel opportunius, si tutæ, vel, si iucundæ, suauius, vel magnificentius, si nobilioris vitæ genus expeteret, accidere potuit, quam vt in vnum locum congregatum, (quod incredibili quadam facultate perfectum est) iuris, legũ, vrbium denique societate deuinctum, ab illa fera, agrestique vita ad hunc humanum cultum, ciuilemque traduceretur? Declarant antiqui poëtæ, qui disertos quondam viros, quod homines ad vnam incolendã vrbem ex agris, tectisq; syluestribus maiore fortasse, quã tum tempora ferebant illa, dicendi copia, & grauita-

te deduxerant, eosdem cantu, fidibusque lapides mouisse feroces, immanium bestiarum impetus fregisse, ac perennium fluminum cursus retardasse finxerunt. At vero constitutis descriptisque ciuitatibus quid aut ad vtilitatem fructuosius, aut ad dignitatem amplius, aut ad famam splēdidius esse potuit, quam in foro copiosa, atque ornata oratione posse hominum fraudem ad perniciem, innocentiam, ad salutèm vocare, in senatu de republ. deque cæteris rebus suam cum dignitate sentētiam explicare, postremo in otio vnum inter cæteros in omni genere sermonis atque humanitatis excellere? Etenim, si verum quærimus, quo tandem modo aut laudandi, aut gratulandi, aut monendi, aut gratias agendi, aut omnino vllo humanitatis officio fungendi, quæ omnia quam sint grauia, quam necessaria, quam facile communis vitę consuetudo demonstrat, facultatem nos vllam vnquam fuisse consecutos putamus, nisi nobis data hæc vis, & ratio dicendi fuisset? Ex qua multiplices alii fructus sunt consecuti, tum hic sine dubio, & amplissimus est semper, & vberrimus habitus, quod eadem effecit, vt, quæ ignoraremus, discere, & ea quæ sciremus, aliis tradere possumus, atque posteris etiam in perpetuum cognoscenda relinquere. Nam quæ per deos immortales præclarissimarū, artium nobilissimarum disciplinarum, quæ sunt partim ad vitæ vsum, partim ad oblectationem animi necessariæ, quæ philosophiæ, qua nihil vel melius. vel admirabilius à Deo hominibus datum est, quæ illius ipsius ministræ, ac quasi famulæ dialecticæ, quæ legum, quæ iuris, quæ denique Dei ipsius, quæ religionis, iustitiæ, pietatis cognitio, atque scientia nobis esset, nisi

in o-

in omni genere homines extitissent, qui eximia instructi facultate dicendi, ea nobis, vnde disceremus, tractata diuinitus prodidissent? Historia quam est admirabilis, quam iucunda, quam fructuosa? Hæc res gestas, veteremq; memoriam omnem continet, hæc bellicosarũ gentium: imperiosorũ populorum, potentium regum, fortissimorũ virorum gloriosa, & illustria facta commemorat, hæc continentiæ, grauitatis, iustitiæ, fidei, fortitudinis, atque omnis denique virtutis exẽpla quam plurima, & quam pulcherrima ante oculos ponit, quæ ipsi non modo magna cum voluntate, & admiratione legentes intuëmur, sed maximo etiam nostro cum fructu imitemur; hæc eadem deniq; sola mea sententia indicat non solum quantum cæteris animantibus, sed quantum cæteris etiam hominibus homo pręstat, cum ea quæ ante quam natus sit, acciderint non aliter, atque si ipse interfuisset, cognoscere antiquitatis studiosissimus quisque possit. Sed hæc tamen omnia, quod nemini dubium est, iacuissent in tenebris, nisi ornatæ & illustris cuiusdam eloquentiæ lumen accessisset. Multo pręte reo cósulto: sunt enim quæ in hoc genere dici possunt innumerabilia: meque breuẽ hac in parte futurum paulo ante pollicitum esse memoria teneo. Illud satis ex eis, quæ adhuc dicta sunt intelligi potest, nullam nobis tum rerum rationem, quibus vita melior facta est, tum etiam literarum, quibus aut corpus tuemur, aut animum recreamus, affuturam fuisse, nisi vna nobis tributa oratio hæc omnia ministrasset. Ex quo efficitur, cum hæc eadem tam præstantia, tam vtilia tam iucunda nobis incredibili deorum beneficio data sint, non alio illos, à quibus improbantur, odio esse di-

gnos quam eos ipſos, qui auguſtiſſima illarum templa, ſicut maximus eloquentiæ pater inquit Iſocrates inexpiabili ſcelere, flagitioque polluerint: contra vero qui naturam hanc, quæ omnibus contingit dicendi commoditatem cura, atque induſtria auxerint, atque vniuerſam demum eloquentiæ laudem: ſine qua ne ſapientia quidem ipſa quod eſt alterum nobis à Deo traditum munus, expetenda, videbatur: ſummo perſecuti ſtudio fuerint, imprimis extollendos eſſe, atq; pleniſſimo ore laudãdos. Quod ſi qui populi, aut ſi quæ gentes aliquando huius tantę laudis ſtudio præſtiterint, ij mihi fuiſſe potiſſimum videntur, qui in libera maximeque pacata & tranquilla ciuitate vixerunt: ſiue quod ipſi, vt rerum geſtarum amplitudine, & libertatis maieſtate, ſic & orationis elegantia: & ſententiarum grauitate ſe cæteris antecellere oportere arbitrati ſint: ſiue quod vt ad bellum gerendum gladium, ſi, ad remp. adminiſtrandam orationem afferendam eſſe ſtatuerint, ſiue denique, quod apud liberos populos ijs, qui ſe dicendi exercitationi dediderint, multo, quam apud cæteros ampliora atq; vberiora ſemper fuerint præmia conſtituta: qualia cum in alijs præclaris quondam ciuitatibus, tum Athenis potiſſimum, & Romæ fuiſſe accepimus quibus in vrbibus, quod diſertiſſimo cuiq; ad gratiam, ad opes, ad honores ampliſſimus patuit ſemper aditus, plurimum quondam eloquentiam eſſe dominatam videmus, id quod ex ſummis vtriuſque ciuitatis oratoribus perſpici poteſt, qui quidem, cum nec eximius eos generis ſplẽdor, nec opum amplitudo, ſed diuina ſolum dicendi ratio commendaret, ad rempubl. cum acceſſiſſent, in ea diutius glorioſiſſime floruerunt.

Id autem ita esse, quo certius argumento colligitur, quam, quo cum eorum populorum libertate non solũ illius gloriæ studium subito vniuersum concidit, sed pristini etiam sermonis præclaræ illæ rationes, & formulæ ita corruerunt, vt ne vestigia quidem vlla antiquæ consuetudinis appareant, si quidem non, vt, res, & animi sensa apud omnes homines eadem per omnia tempora permanent, sic & voces, & verba eadem ab omnibus gentibus omni sæculo celebrantur, immo vero, vt imperia, sic cõmunis loquendi forma; & cõsuetudo suo quasi confecta senio contabescit, atque vt ex corporibus placent potius, quæ vigentis florem ætatis præ se ferunt, quam quæ caducam quantam maturitatem adepta sunt: sic in quotidiana loquendi consuetudine; quæ postremo quoque loco verba successerunt, ea plurimum apud homines honoris obtinent, ac dignitatis. Quod cum ita sit; ergo duplex nobis relinquitur hoc tẽpore, in quo nostra excurrere industria, & virtus possit, honestissimus, atq; in suo vterq; genere amplissimus eloquentiæ campus, vnus, qui recentem, alter, qui antiquam loquendi rationem amplectitur. Quarum illam ad familiaria negotia, & omnino ad publicum, & forensem vsum aduocare; ex hac vero rerum præstantissimarum, & nobilissimarum artium cognitionem deriuare consueuimus. Ac prior quidẽ illa pars eloquentiæ in hac ciuitate, quam fere vnam in terris hoc tempore liberam esse voluisse dij videntur, tãto studio colitur, vt ne Græci quidem, & Latini admirabili, vel potius diuino ipsorum sermone, aut de rebus priuatis subtilius, aut de publicis magnificentius, aut de forensibus peritius, & copiosius disseruerint, neque

iniuria. Nam quæ cæteris in vrbibus hoc tempore penitus interclusa est ad dicendi gloriam via, ea latissime in hac ciuitate vnicuiq; patet, non enim hic nostra desiderantur, non curia non senatus, non forum, non subsellia iudicum, in quibus eloquentium virorum aut elucescat industria, aut speratis, propositisque honoribus studium excitetur, manent, & manent: &, vt video in perpetuum manebunt disertissimorum hominum ingeniis sua in hac pacatissima ciuitate curricula, & ex hoc studio fructus amplissimi, summa gloria. De altera vero omnium fere eruditorum ea videtur esse sensio, vt quoniam tum Græci tum Latini homines (harum enim duarum gentium laudata in primis semper oratio fuit) poëtas nobis & oratores non ignobiles reliquerunt, & præstantissima fere, ac optima cuiusque disciplinæ præcepta quam plurima, & ornatissima prodiderunt, demus operam, vt verborum, quibus diuina contexta ipsorum scripta sunt, ratione percepta, tot excellentium poëtarum, nobilium oratorũ, præstantissimarum artium cognitionem nobis, atque scientiã comparamus: aut, si quod forte de nostris vel dicendum: vel scribendum hoc tempore sit, id verbis quidẽ nostris explicemus: sententiarũ autem luminibus, quæ plurima ex splendidissimis eorum scriptis sumi possunt, illustremus: aut denique si nosmetipsos ad veterem illam forte dicendi consuetudinem transferamus, id vero nec indiserte, nec impolite agamus. Sed: cum hoc tamen totum, quidquid illud sit, quod nos in hoc genere susceperimus nisi cognitu eorum linguæ formulis expleri non possit, relinquitur profecto, vt primus nobis labor in ipsorum cognoscenda lingua sit collocandus, quam
cum

cum neque ex domestico, neq; ex forensi, vt quorundã vsu, sed ex tacita duntaxat multorum doctorũ consuetudine percipi posse, pleræque Italiæ ciuitates, animaduerterent, propterea summa ope contenderũt, vt apud se haberent, qui illorum libros publice diligenter explicarent. Verũ in hoc genere toto, Auditores, nescio quo modo maiorum vestrorum consiliũ & factum imprimis elucet, hi enim non modo artium, & disciplinarũ, quæ nunc in pretio sunt, omnium clarissimum vniuerso terrarum orbi domicilium in antiquissima imperii sui Patauina vrbe statuerunt, idque ipsum nobilissimis accitis ex omni terrarum parte magistris exornarunt, sed etiam in hac vrbe, quæ clarissimi huius imperii sedes est, semper esse voluerunt, qui obscura, & nunquam satis patefacta veterum illorum scripta docendo illustraret, & præclaram hanc iuuentutem optimis litteris publico munere erudiret, & recte: statuerunt enim: id quod aliter esse non potest, ciuilis initia ac fundamenta prudentiæ optimarum doctrinarum cognitione ac scientia contineri, nec quendam vnquam satis se moderate in libera ciuitate gesturum, nisi qui ab ineũte ætate liberalibus primum disciplinis excultus, deinde se tractandæ & administrandæ reipublicæ tradidisset: itaque vt in ipsa republica gubernanda, sic in tota eius etiam ratione suscipienda, admirabile est quantum ipsi cũ cæteros homines, tum maxime prudentissimos illos etiã veteres Romanos sapientia superauerint, illi enim philosophos, ac rhetores omnes, Catone potissimum & Crasso auctoribus, edicto excedere aliquando ex vrbe iusserunt: hi eosdem in hanc vrbem suffragiis etiam suis aduocandos esse duxerunt. illi

nobiliſſimos artium magiſtros aliquando etiam contumelia affecerunt: hi eoſdem ſummis præmiis dignos eſſe perpetuo arbitrati ſunt: illi rectiſſimas artes ad optimam adminiſtrandæ reip. rationem informandam nihil valere, hi ad id potiſſimum maxime pertinere exiſtimarunt, Quo fit, vt hæc ciuitas, quemadmodum rerum geſtarum magnitudine, imperij diuturnitate, maritimi, & terriſtris apparatus magnificentia, ſic artium quoque optimarum ſtudiis, ac moderatiſſimorum hominum copia præſtantiſſimum quemque populum antecedat; in hanc igitur vrbem, atque ad eiuſmodi obeundũ munus publica adductus auctoritate venio equidem perlibenter hoc tempore, Auditores, ſed ſi vere dicendũ eſt, maximo cũ timore. Metũ autem affert non tã ſuſcepti magnitudo muneris, cui me iam nonnulla exercitatione aliquantum aſſuefeci, ſed quod intelligo me in eũ locũ ſuccedere oportere, quo in loco cum alij quondã ſummi viri, tũ proxime Valla, Sabellicus, Egnatius magna cũ ingenij, atq; doctrinæ laude floruerunt. Præterea vero, corona iſta veſtrũ; & frequentia incredibilis adeo me commouet, & perturbat, vt nunc demũ intelligam, quam incaute ne dicam ſtulte fecerim, qui acerrimo huius eruditiſſimę ciuitatis iudicio in hoc genere aliquando ſatisfacere me poſſe crediderim. Sed tamẽ qui me frequens veſter conſpectus terret, idẽ quodammodo etiam cõfirmat: & recreat. Sentio enim, atq; ex ſingulis vniuſcuiuſq; veſtrum vultibus perſpicio humanitatem in hac ciuitate eſſe tantam, quantam in principe terrarũ populo eſſe conueniat. Itaq; vt amaui antea mea ſponte maxime pulcherrimam iſtam vrbem veſtram vnam in terris optime conſtitutæ ciuitatis verissi-

riſſimam imaginem, & ſenatus iſtius grauitatem, imperij maieſtatem, cœli clementiam, terræ halitum, maris afflatum atque omnino felicem iſtum, ac plane diuinum Venetiarum genium ſemper colui, ſic nũc multo vehementius, veſtro tanto incenſus erga me ſtudio, & vos omnes, & hæc omnia diligo atque colo: fateorque pulcherrimũ mihi omniũ, quos in vta vidi, hunc diem illuxiſſe, quo tam egregiam veſtram ergo me voluntatem, ac tam honorificum de me iudicium licuit experiri, cuius diei memoria, dabo operam, ne aut obliuione aliqua deleatur, aut vllius diuturnitate temporis obſcuretur. Expoſui breuiter, auditores, quæ ad eloquentiæ laudem, atque omnino ad huiuſce diei quaſi proludium mihi viſa ſunt pertinere: lætorque attente, atque benigne me, ſicut optabam, atque ſperabam, ab omnibus auditum eſſe. Relictum eſt, primum vt vobis omne meum ſtudium, officium, laborem diligentiam, quantum denique ingenio, atque induſtria efficere in hoc munere poſſim, pollicear, ac deferam: quod quidẽ cum mea ſponte, tum veſtro etiam tanto de me iudicio incitatus. vel Muſis prope ipſis, quarum auguſtiſſimo quaſi quodam in templo ſumus, approbantibus facio: deinde, vt vos orem, atque obſecrem, vt quod ad me audiendum hodierno die ſtudium attuliſtis, id in perpetuum conſeruetis. Quod equidem cum aliis de cauſis vobis cenſeo eſſe faciendum, tum ne aut eorum, qui me huc aduocarunt, aut eius, qui accerſitus eſt, animus veſtra vlla tarditate debilitetur aut ipſi maximam, & excellentisſimam humanitatis partem reſpuere, aut denique ne hac abuti pulcherrima, atque optatiſſima pace videamini, quæ ſola hęc ciuitas, reliquo fere terra-

rum orbe perniciosissimo bello flagrante, singulare istius sapientissimi senatus consilio, maxima hominum approbatione, summaque vtinam in perpetuum felicitate perfruitur.

ORATIO II.

Caroli Sigonij pro Eloquentia,

Venetiis Habita M. D. LII.

ETSI, POST intermissa nostra studia, Auditores, nihil mihi longius vnquam visum est eo die, quo iterum omnes in hunc locum conueniremus, ac dimissam eorum consuetudinem longo interuallo repeteremus: tamen hodiernus dies qui cum per se optatissimus, tum frequentissimo isto conspectu vestro omnium mihi iucundissimus esse merito debet, integram me quam ante finxeram animo, percipere voluptatem non patitur, renouat enim memoriam pernitiosissimæ cuiusdam opinionis, quam omnino inueterasse, atque in animis omnium fere hominum iam penitus insedisse intelligo, nam cum alij alijs de causis se à studijs optimarũ artium, ac præsertim eloquentiæ, recedere hoc tempore profitentur; tum hæc trita, & iam omnium fere persulgata sermonibus afferri excusatio solet, quod se diffidant ad veterum illorum posse, quos imitati fuerunt, laudem, & gloriam peruenire. Quæ oratio quanquam satis est istius ciuitatis auctoritate, atque iudicio confutata, quod tanto studio, ac tanta animorum contentione ad omnium disciplinarum genera complectanda exarsit, vt eam omnino antiquitatis non æquaturam modo gloriam, verum longe mul-

multumque ſuperaturã eſſe ſperandum ſit: me tamen & ſuſcepti muneris ratio & mea quędam erga vos præcipua charitas hortatur, & quo alacrius omnes ad priſtina ſtudia redeatis, eiuſmodi ſententiam probem, eum vt falſam, tum vt pernitioſam ab omnibus, prorſus hominibus eſſe repudiandam. Etenim, ſi diligenter attenderitis, Auditores, nihil profecto inuenietis quod tam omnium hominum animos frangere, aut tam eorum retardare conatus poſſit, quam ſi in iis artibus, ad quas ſe contulerint, omnis ſit eis ſpes principatus, ad quem vnuſquiſque natura ducitur, intercluſa. Quam certe ſpem omnino præcidunt illi, qui in tantam antiquorum admirationem adducuntur, ac tantam illis in omni artium genere laudem tribuendam eſſe cenſent, vt nullum poſteris ad famam, atque ad gloriam relictum eſſe locum arbitrentur. Equidem vt illud ſemper veriſſimum eſſe duxi, maximas res ſummaſque artes & inuentas acutiſſime, & tractatas ornatiſſime ad nos à veteribus eſſe translatas: ſic hoc nulla ratione probandum puto, non eorum nos veſtigiis inſiſtentes, vel parem nobis laudem poſſe ex eodem illo antiquorũ ſtudiorum curriculo vindicare. Nam omnino, ſi cauſa vlla eſt, Auditores quæ noſtros conatus queat impedire, eam profecto vel ab ingeniorũ noſtrorũ imbecillitate, vel certe ab rerum cognoſcendarum multitudine proficiſci exiſtimandum eſt. Quibus tamen ex rebus tantum abeſt, vt vlla nobis impedimenta poſſint parari, vt omnino nulla ineptior oratio ſit, quam, eorũ: qui hac ratione vtantur. Nam, vt de ingeniis primum dicam, quorum hebetatem aciem eſſe ab ipſa quaſi defatigata natura quidam queruntur, quid eſt tandem

causæ cur natura hoc tempore tardiora, quam olim, humana ferat ingenia, quæ, in omnibus suis rebus obeundis admirabilem constantiam, & incredibilem quãdam æqualitatem immutabili prorsus æternitate tueri solita sit? Equidem, cum nunc & cœlum pariter naturali se conuersione contorqueat, & terra, suis librata ponderibus, immota natura iaceat, cum sol & astra nunc etiam terras clarissima, vt ante luce collustrent, cumque item cætera quæ longe maxima sunt, eodem, quo ante modo à natura gignantur satis intelligere non possum, cur homines aut, ad inueniendum hebetiores, aut ad intelligendum tardiores natura hoc tempore quam antea, procrearit, fallitur enim, si quis & ingeniorum, & agrorum eãdem esse rationem putat: ægrorum virtus aut cœli temperatione, commutatur, aut tẽporis diuturnitate minuitur: ingeniorum vires nulla prorsus ratione, nisi forte socordia franguntur. Testis ipsa Græcia esse potest, in qua cum olim ita omnium bonorũ artium studia floruerunt, vt hæc vna in terris gens omnis humanitatis, atque doctrinæ iure sibi gloriam asciuerint, ita nunc demum funesto quodam illius quasi prouinciæ fato, iacent, vt eadem nulla antiquæ monumẽta laudis, & veteris insignia dignitatis agnoscat. Quid ita? profecto, non quod apud illos ingenium, sed quod ingeniis industria consenuerit. Vt enim fœcundissimus ager, nisi quotidiana exerceatur cultione, siluescit: sic optima ingenia, nisi perpetua exercitatione excolantur exarescant penitus necesse est. Quod si eisdem viribus eorum, qui nunc sunt, atque illorum, qui ante vixerunt, ingenia sustinentur: iam nunc intelligere possumus, quantum nobis momentum ad gloriæ commenda-

mendationem accesserit ex ijs, quæ sunt excellentissimis superiorum hominum ingeniis innumerabilium iam prope sæculorum memoria comparata. Quæ sunt eiusmodi, vt non optimam modo confirmare, sed deterrimam quoque plane excitare naturam possint. Neque enim, vt aliarum rerum omnium, sic ingeniorum quoque grauem obrepere senectutem existimandum est, quippe quæ firmissimo ac prope immortali quodam quasi naturæ robore sepiantur. Nam ni ita esset, quis est, qui non intelligat, aut primis aut secundis ipsa confici sæculis debuisse, nunc vero, cum ea vi prædita sint, vt, quo diutius viuant, eo vehementius vigeant, & quod de fama dixit poëta summus, progrediendo quasi vires acquirant: quid est, quod de eorum imbecillitate dubitandum magis hoc tempore sit, quam post Platonis & Aristotelis, & eorũ æqualium tempora dubitatum sit; quorum tanta extitisse in omni disciplinarum genere laus creditur, vt non priores solum omnes superasse, sed posteris etiã omnibus spem aut melioris sentẽtiæ, aut ornatioris, nisi sint prope in perpetuum ademisse; itaque, vt ipsi plurimos, proxime ad eadem se studia cõtulerunt, incredibili sua laude nequaquam retardare potuerunt: item hoc tempore aut illorum, aut horum ingenij magnitudo permouere neminem debet, quo minus, si ita ferat animus, ea studia persequatur, in quibus illi maxima cum laude, & summa omnium sæculorum cum assensione versati sint. Neque enim, mihi credite, rerum ipsarum aut euoluta satis, aut prompta veritas est, sed obscuro, & inexplicabili quodam quasi inuolucro implicata, & vt nobiles quidam philosophi tradide-

dide-

diderunt, in profundo ita demersa: vt nec vnius labore, neque vnius ætate: sed plurimorum hominum industria, & multorum sæculorum spacio videatur eruenda. Quam multa enim sunt, quæ non dico Aristotelem, aut Platonem, aut qui ambos ætate antecessit: Socratem, sed eos quoq; omnes: qui aut proximo, aut longo subsecuti sunt interuallo, etiã quærẽtes latuerũt, vltro autem sese nostris aut patribus, aut maioribus prodiderunt? Nam, & cælestium orbium numerus, & stellarum errantium motus multo profecto certius ab his, quam ab illis, & inuestigatus, & traditus: & terræ ipsius remotissimæ, ac penitus abditæ partes, quo non solum non penetrauit antiquitas, sed ne adiri quidem posse, natura ipsa repugnante, existimauit, & maximo consilio sunt, & præstanti animi magnitudine peragratæ. Iam vero & ad alienissimas, ac maxime longinquas nationes vel vsus vel victoriæ caussa non modo comparata est nauigatio melior, sed & res ipsa militaris, ac bellica nouo quodam: & ante inaudito tormentorum genere reddita est instructior. Rempublicã vero, & populi libertatem, quam cum alii ante multi, tum maxime Romani summo consilio tractasse, ac defendisse semper videntur, nunc multo certe prudẽtius patres vestri & gerunt, & tuentur. itaque vt illi bellicis fortasse artibus, sic hi domesticis, vt illi imperii magnitudine, sic hi diuturnitate iure gloriantur, si quidem inde vel cum hostibus, vel inter ciues perpetuo dimicatũ, hinc optatissimæ pacis fructus domi, forisq; partæ quotidie percipiuntur vberrimi, inde pauca quædam grauioris dominatus lustra, hinc illustrioris imperii infinita iam prope sæcula numerantur. Omitto situs vrbis

huius

huius inauditam ante opportunitatem : quam esse tantam constat, vt hæc vna in terris ciuitas ad imperiũ, ad decus ad æternitatẽ condita videatur : prætereo admirabilẽ tot magistratuũ rationẽ, incredibilem in iudiciis æquitatẽ, maximam omniũ rerum inter ciues æquabilitatem, cæterasque omnes huius præstantissimæ Reip. partes non solum inter se, sed etiã cum optimo, ac perfectissimo ciuitatis genere pulcherrime congruentes, Nimirum hanc vrbis speciem, hanc ciuitatis præstantiam veteres illi optimi viri, atq; omniũ sine dubio prudentissimi animo finxerunt potius, quam aut viderunt vnquam, aut audierunt, aut omnino futurã vllam aliquando in tam corruptis hominũ omnibus sperare vlla ratione potuerunt. Quæ si perspicua sunt, simul illud perspicuũ esse quis non videt, non solum eandẽ nobis, quæ veteribus aciem ingeniorũ manere, sed si exercitatione acuatur, multo etiã præstantiorẽ futuram. Nam quod rerum, scriptorumque quib. in dies magis obruã tur multitudine perterreri se quidã dicunt, id est, eiusmodi vt nimia potius eorũ penuria deploranda, quam nõ necessaria copia exagitanda sit. Etenim qua re alia, dij immortales, in tantas his tẽporibus optimarũ artiũ redacti sumus angustias, quam quod ad eas cognoscendas prope innumerabilibus sumus præsidijs, quib. superiora abũdarunt sæcula destituti; Vbi enim philosophi sunt illi, qui & ante, & post Platonis tempora cum naturæ, tum morũ rationem diligentissime inuestigarunt? quorum tam magnus extitisse numerus traditur, vt quemadmodum milites in cohortes, sic illi in diuersarũ sectarum quasi quasdam acies secernerentur; Vbi tot oratores, tot poëtæ, tot iuris, legumq; consulti. Vbi tot

rerum

rerum gestarum atque annalium & historiarum scriptores ornatissimiqui clarissimorum regum, & potentissimorum populorum facta Græcis, & Latinis litteris consignarunt; Vbi denique reliquarum artium inuentores, prope infiniti; O C. Plini: maiorem appello, Tu, qui nobis monumentum illud vnum industriæ tua pro tot illis antiquorũ milib. tradidisti, voce quanta tu, patresque tui veterũ testimoniorum copia abundaueris, quanta nos, æqualesque nostri eorundem inopia vrgeamur: Idemque huncillis errorem eripe, qui nimis magna se eorum vbertate diffluere arbitrantur, non intelligentes, quam fœde omnia aut inimicæ vetustatis iniuria labefecerit, aut imperitorum sæculorũ incuria deformarit. Quæ cum ita sint sane efficitur, vt quemadmodum nonnullarum recentium rerum, quæ scienti comprehendendæ sunt paruo nescio, quo labore torquemur, sic contra plurimarum veterum, quarũ obsoletam iam nimia antiquitate cognitionem prope in perpetuũ deplorauimus, grauissima cura leuati simus, ita vt quæ antiquissimis hominibus olim prope noua videbantur, ea nobis pro vetustissimis hoc tempore habeantur. Nam, quod duabus linguis, ijsque alienis, intolerabili prope cum labore percipiendis cõmoueri se alij dicunt, stultissimum illud dare documentum videntur, vt, qui nobis, post tot acceptas à barbaris clades, incredibili dotum benignitate amissarum quasi quidam thesauri artium commonstrati sint, eos aut negligamus, aut, quo nihil esse fœdius potest, ab alienis hominibus occupari, ac possideri, æquo animo patiamur, quasi vero hoc & nouũ & nunquam antea factitatum, vt, quæ domi nostræ non haberemus ea si

vsus ferret, aliunde sumeremus. Nisi forte Gręcos ipsos maximarum disciplinarum gloria celeberrimos, aut Indorum, aut Ægyptiorum, aut Phænicum præclara quondam decreta approbasse, voces autem, quibus ea tradebantnr, odisse: aut sibi notas esse noluisse arbitramur. Equidem cum in antiqua monumenta intueor, alienis linguis adeo veteres studuisse video, vt non solum bellicosissimus, & potentissimus rex Ponti Mitridates duorum & viginti populorum, quibus iura dabat linguas perdidicerit, sed Romani etiam aliquot hostilem Pœnorum linguam, quod ea nescio quid scritum forte non insulse erat, haud prorsus sibi esse contemnendā putarint. Quæ si vobis argumenta hominū imperitorum, atque ignauorum probantur: assentimini, Auditores, & præclara disciplinarum genere veterum linguarum desperatione deserite. Sin autem vere optimarum artium studiis nihil esse præstantius ducitis: quid est, cur alienarum cognitionem linguarum, quas nulla vnquam repudiauit antiquitas, omnis semper est amplexa humanitas, detrectetis? aut cur vel Græcorum magis hoc tempore, quā illi quondā Ægyptiorum, vel latinorum potius quam illi Græcorum, voces negligatis? Itane vero? M. Cato, homo Romanus, Græcas literas quas ante perpetuo fastidierat, vltima iam senectute auidissime deuorauit: vos, patrum vestrorum tanta auctoritate neglecta, eas ætate florentissima respuetis? multi Græci, non pauci Barbari Romanorum quondam literarum caussa maria etiam transmiserunt: vos, germana Romanorum progenies, Romana monumēta domi vestrę reijcietis? omnes ciuitates, omnes populi, omnes deniq; omniū terrarū gentes,

gentes, modo aliqua ſint humanitate imbutæ, non mō do ſcholas, ſed etiā fora, templa cœtus, congreſſus Græcis aut Latinis circumſonare vocibus honeſtiſſimū, atque grauiſſimum eſſe cenſent: vos, in ea ciuitate nati, quæ ampliſſimum omnis ſemper humanitatis, atque doctrinæ domicilium fuit aures veſtras, ne eas audiant, vllo labore aut vlla deſperatione claudetis? O fallaces, & inanes eorum cogitationes, qui hanc vrbem in eam ſpem condiderunt, vt Romanam rempub. quæ tū funditus erat euerſa, ſi non amplitudine imperij, ac certe liberalium artium ſtudiis, quæ tum toto terrarum orbe pulſæ iacebant, vel æquaret, vel etiam vinceret. Eone conſilio hanc iuuentutem tot in ſæcula propagarunt, quæ ingeniis prædita ſingularibus, artes eas quas maiores ſui etiā ciuitate donaſſent, ſpreta excedere ciuitate, ingeniorum diffidentia ſineret; ſi quidem, aut rectiſſimam quamque artem tollatis; Auditores oportet, aut linguas, quibus illæ præditæ ſunt omnino conſeruetis. Quod ſi ſine illis nec ſatis communis vita conſtare, nec moderatio in ciuitate manere, nec omnino vlla haberi ratio humanitatis poteſt: profecto & hæc, quæ tantorum bonorum ampliſſima quaſi quædam ſeminaria ſunt fouere diligentiſſime opus eſt. Nam ſi ea loca, in quibus aut aurum, aut argentum effodiuntur, quibus humana libido turpiſſime plerumque abutitur tanta diligentia obuallantur: quanto nobis ſtudioſius ſecreta nobiliſſimarum artium quaſi latibula retinenda ſunt, quibus ampliſſimis præmiis accendimur ac memoriam gloriæ ſempiternam; Neque enim audiendi ſunt illi, qui exigua nimium ſe mercede ad tantos labores prædicant inuitari: Sunt enim iis, qui in libera

ciuitate

ciuitate vixerunt, satis ampla qui liberam ciuitatem administrauerint, amplissima proposita præmia, quæ partim maximorum in honorum adeptione, partim in egregia & præsentium, & futurorum hominum opinione, partem moderata fortunarum in amplificatione, qui quanquam leuissimus fructus est, vulgari tamen æstimatione longe omnium grauissimus habetur, sita esse ducuntur. Quamobrem cum & res quæ cognoscendæ sunt, paucæ, & vires ingeniorum validissimæ, & præmia ad excitandos animos amplissima sint, nolite diffidere Auditores, veterum etiam laudem eorũ quos tantopere admiramur, quamcumque ad artem animũ adiunxeritis, aut facile æquaturos, aut quæ finitima gloria est, ad eadem proxime accessuros. Quod ipsum etsi futurum nullo vnquam tempore desperaui: tamen auget nunc multo etiam magis spem meam perspecta mihi virtus & industria vestra singularis. Me certe cũm mea perpetua erga istum ordinem singularis voluntas tum hodiernus iste vester in hunc locum, quasi ad pristinam eloquentiæ possessionem recuperandam, incredibilis concursus ita ad hanc causam inflammat, vt me dies, noctesque nihil aliud, quam de vestris commodis cogitaturum esse profitear. Et quæ enim causa est, cur non perpetuo pro istius vtilitate confessus laborem, cum & ipse ab hoc fonte ad nonnullam hominum famam profluxerim, & meus quotidianus hic labor ad aliquam hominum existimationem, istorum commendatione subselliorum, paulo latius dimanauerit? Quamobrem vigilabo quidem mea sponte (vt dixi) pro vobis libenter, at multo certe etiam libentius, quod intelligo me à vobis ita audiri, vt maxima pars vestræ au-

diendo laudis ad aliquā mei etiā nominis celebritatem attineat: vt, quantū in vos vtilitatis ex meo labore, tantundem in me laudis ex attentione vestra redundet.

ORATIO III.

Caroli Sigonij pro Eloquentia.

Habita Venetiis Anno M. D. L IV.

SI quantum animi in quibusdam hominibus est hoc tempore, Auditores, ad præclara iuuentutis ingenia retardanda, atque omnino ad honestissima linguarum studia reprobanda, tantum in me ingenij ad eadem excitanda, atque ornanda reperiretur: profecto & ipse iampridem satis vestras mentes ad amplissima litterarum præmia inflammassem: & hæc studia ab indigna illorum criminatione me non incommode hodierno die esse defensurum confiderem. Etenim, cum duo sint hominum genera, à quibus potissimum honestissimus iste vester ad laudem cursus impediatur, vnū eorum, qui vniuerso litterarum generi, alterum, qui rectissimæ huic linguarum rationi præcipue se inimicos esse præ se ferant, cumque priore anno vehementius eorum opinionem increbuisse animaduerterem, qui dicerent, non esse cur hoc tempore doctrinæ studia tractaremur, quod ad veterum illorum, quos imitaremus gloriam aspirare non liceret, tum toto eo de genere illa dixi quæ sententiam eorum, ni pertinacius, quam sapientius agerent facile posse frangere viderentur. Nunc vero cum præclarum hoc lingu[illegible]m studium ab alteris intelligam, tum vt parum [illegible]es-sarium, tum vt nimis leue contemni, ac derideri [illegible]in-

ai-

to mihi alacrius eiusmodi defensionē suspiciendam existimo: quantò eos propius harum, quā illorū accusatio petit. Neq; verè, si in nos à rudibus quibusdam, atq; indoctis hominibus impetus fieret, summopere mihi de conatibus eorū repellendis, ac vindicandis esse contendendū putarem. Verū, cùm intelligā vt quisq; vehemētissime in rerum cognoscendarum studio elaborat, ita maxime nostram hanc quasi verborum, vt illi vocant, disciplinam illudere suaq; auctoritate, qua magna est, imbecillos multorum animos à rectissima studiorum ratione deducere: facere nō possum, quin, solemni præsertim hoc die, quem vnū ex omnibus pulcherrimum incredibilis vestra frequentia mihi reddit, atq; in tanto literatissimorum hominum concursu paucis iniustæ illorum accusationi respondeam. Quos tamen ita sentientes homines vt gratulor in hac amplissima vrbe reperiri nullos: sic, quando iam reliquam Italiam hæc opinio peruagatur, ea ne, tanquam pestilentia continenti, vulgata tabe, hanc demum etiam purissimam ciuitatem inuadat, mihi in primis, cui publicæ tuēdæ eloquentiæ negotium datum est, existimo prouidendum. Sed quoniam, vt dixi, acrius illi, ac vehementius agunt, quam vt nos ornate, ac copiose pro tantæ rei magnitudine, respondere possumus: vestræ erit humanitatis atque prudentiæ, quæ pro vobis in officio retinendis verissime disputabimus, ea benigno, atq; attento animo audientes, falsis illorū reiectis criminibus singulari vestro potissimū studio cōprobare. Magna igitur, ac mole sta adm[illegible]ū mihi caussæ suscepta est, auditores, quippe quā [illegible]n maiorem ingenij facultatem requirat, quā animi [illegible]orem acriorē eliciat. Neq; enim facere pos-

ſum,cum vehementius in hanc totam linguarum quæſtionem intueor, quin funeſtum earum, ac miſerabile quoddam quaſi fatum deplorē,quib.interneciuū video bellum ab indiſertis hominibus prope in perpetuū eſſe indictum. Taceo cladem illā,quam ipſæ ingentem maiorum noſtrorum memoria ab indoctis,& rudibus illis ſæculis acceperunt: quam idcirco leuius quodam modo ferendam illis eſſe cenſeo,quod ea ab reliquarum omnium artium pernicie incredibili, nulla ratione ſeiungi potuit. Verum illud queror, cum reliquæ diſciplinæ omnes hoc tempore ſingulari quodā deorū munere ex diuturna quaſi iactatione conquieſcat, hoc vnum linguarum ſtudium quorundam hominum pertinacia; ne priſtinum dignitatis ſplendorem recuperet, impediri. Quod eo mihi eſſe videtur indignius,quod & per eos ſtetit, quo minus eximia reliquarum artium monumenta, paulo ante pernicioſo barbarorum impetu labefactata,conciderent, & ab ijs oppugnantur, à quibus merito præſidij aliquid expectare debebant. Nam ſi qui huic ſtudio iniqui ſunt hoc tempore, atque infeſto ex eorum ſunt potiſſimum numero, qui ſe philoſophiæ ſtudio dediderunt, quorū eam fere rationem eſſe,poſſit animaduertere,vt nobiliſſima,puriſſimaque veterū philoſophorum decreta aut deformato, inquinatoq; Latino ſermone explicent,aut, ſi qui qui paulo, quā ipſi,emēdatius,atq; ornatius ea tractent, eos leues homines,& parū quid maieſtati philoſophiæ cōueniat, attendentes appellent. Qua in re illud primū mihi pergraue videtur, quod orbem ipſum doctrinarum, quas mirifico quodam inter ſe vinculo iunctas eſſe accipimus,

mus,dissoluere, ac reuellere linguarum vituperatione conantur;deinde,quod ea despiciunt,quæ omnium hominum consensu firmissima sunt quasi omnium disciplinarum, atque artiũ fundamenta quasi vero aut ars vlla sine ope alterius probe intelligi, aut doctrina aliqua possit sine linguarum potissimum notitia comprehendi. Ac apud veteres quidem quanta diligentia,ac prope religione hæc ipsa bonarum artium societas, atque cognatio culta sit,hinc intelligi potest, quod neminẽ id vna excellere arte,qui nõ omnes attigisset,posse opinati sunt:adeo vt non philosophis solũ cognita esse oporteret omnia,sed ne artifices quidẽ humiliores sine philosophia,id est,sine vniuersa quadam omniũ disciplinarũ scientia,recte in suo munere versari posse existimarent. Quæ concordia si cui tuenda est,eis inprimis merito videtur tuenda esse, qui se omnium studiosissimos esse sapientiæ profitentur, quod quemadmodum essequi sine singulari quadam linguarum intelligentia possint,profecto ne si ipsi quidẽ credo facile demõstrabunt. Nam si quod quisq; sentit, idipsum quale sit,nisi verbis enuncietur, apparere non potest, & si omnino nostræ mentis est interpres oratio:iam illud perspici aperte potest,si,quæ quisq; acute inuenit, ea alijs tradere,vel alienæ vtilitatis, vel suæ ostentationis gratia velit,ne hæc quidẽ esse,quib. illa quasi contineri videtur, ornandæ ac quodammodo faciẽdæ orationis studia negligenda,vt enim nobiles architecti in construẽda præclara domo non parietũ magis aut culminis rationem habent,quam fundamenti:sic nec egregiis philosophis eximia potius sapientiæ præcepta nota esse oportere, quã verborũ quibus illa quodammodo sustinentur sub-

ſidia ſtatuendum eſt. Quam rationē veteres certe philoſophi, qui ſoli hoc grauiſſimo nomine digni fuiſſe videntur, ſtudioſiſſime obſeruarunt. Nam Theophraſtũ quidem, & Ariſt. adeo floruiſſe dicendo accipimus, vt ille diuinitate loquendi nomen inuenerit, & hic etiam aureum flumen orationis fudiſſe ſit exiſtimatus. Nam quid de Xenophonte dicā atque Platone, quorũ alteri⁹ voce muſas quaſi locutus fuerunt alterius Iouem ipsũ ſi gręce locutus eſſet, locuturũ fuiſſe? Cōplectar vno verbo. Nemo fere ex veteribus illis philoſophis, à quibus tanquā ab vberrimis quibuſdā fontibus, omnis ad nos philoſophiæ cognitio emanauit, bonus intelligēdi magiſter fuit, qui nō idem etiā dicendi grauiſſimus auctor extiterit, Cur autē non ſit? quia verborũ, inquiunt, leuiſſimũ ſtudium eſt: acute, an vero cuiquā vnquam leue videri illud demũ ſtudiũ debet, in quo ſummi philoſophorũ principes, Plato & Ariſt. tantopere vigilarunt? Duæ ſunt enim huius quaſi doctrinæ partes, vna, quæ poëtam, altera, quæ oratorē informat, has ambas adeo accurate, atque eleganter ij, quos paulo ante cōmemoraui, commentarijs etiam editis pertractarũt, vt, quod his artibus præſidiis adſit, ac dignitatis, id omne iure acceptum duobus illis maximis referatur auctoribus. Quodque præſtans illorũ de grauitate horum ſtudiorũ apertius demonſtrare iudicium poteſt, Ariſtoteles ipſe ad ea, quæ tam præclare de dicendi artificio ſcripſit, non pulcherrimi ſui ſtudiis contentus gloria, Iſocratis rhetoris laude incenſus acceſſit, imo vero cum florere eum nobilitate diſcipulorũ videret, & ipſe rhetoricam docere, & ludum habere voluit, cum diceret; indecorum eſſe ſe tacere, Iſocratem loqui. Quanquam quid

aut

aut oratorum artem potissimum nominem, aut poëtarum: quam, vel vsus, vel doctrinæ ratione optabilem, nemo vnquam in Græcia præsertim, harum omnium disciplinarum parente, atque altrice, contẽpsit. Quid? Romæ, vbi quondam propter perpetua militiæ studia nulla ex græcis artibus in pretio fuit, quippe qua vrbe philosophi ac rhetores omnes acerbissimo etiã decreto aliquando sint exacti, nonne eius etiam artis præcepta, quæ ornate, sed emendate loquendi principia continet, Varro & Cæsar summo studio tradiderunt? atqui viri ij, quorum alter summarum disciplinarum cognitione Romanos ante se omnes, alter rerũ gestarũ magnitudine omnes ex omni memoria homines nisi controuersia vicit. Ergo veteres illi non solum de philosophia ornate scripserunt, sed rationem etiã ornate dicẽdi aliis tradiderunt: nos non solum impure de nostris ipsum studijs disputabimus, sed si qui paulo castius loqui studuerint eos leues, & contemnendos homines esse putemus: illi in maxima aut scientiæ aut imperij gloria ne grammaticæ quidem artis tractationem sibi indecoram esse duxerunt, nos neminem, nisi qui præcepta prorsus omnia grammaticorum contempserit, repudiabimus? Hæc igitur quondam principium philosophorum, atque summorum virorum ratio fuit, quam nescio cur nostri non hoc tempore imitentur, vt ipsi secum, quantum profiterentur, quotidie cogitarent, cumque se rationem intelligendi profiteri animaduerterent, ne loquendi quidem artem à sua cognitione alienam esse arbitrarentur. Quãobrem non tam quid sentirent, aut agerent, quã quemadmodum ea dicerent quærebant: neque rerum solum

ſed etiam verborum à ſe exempli peti oportere cenſebant:neque in hoc ſtudio tantum,quia neceſſarium, verum etiam quia graue,& honeſtum ducebant diligentiſſime verſabantur.Oſtendi,hanc quaſi verborũ ſcientiam,quam ſolam oratoribus,atq; poëtis propoſitã eſſe iſti putant,plurimum in ſe habere & neceſſitatis, & dignitatis, quid, ſi eoſdem illos non verborum magis eſſe,quam rerum indagatores atque artifices, probem? Etenim poteſt ne aut res exprimi ſine verbis, cut oratio ne quidquam,niſi res aliqua demonſtrari? Quid autem vel oratores oratione,vel poëtæ verſibus ſuis aliud cõplectuntur,quam quæ præſtantiſſimis philoſophorum libris continentur, atque præceptis? Dicam primum de poëtis, quorum quibuſdam difficilior fortaſſe ratio eſſe videatur. Poëtarum igitur dico reconditam quandam eſſe doctrinam,eandemque ex ipſius philoſophiæ penetralibus eſſe depromptam. Atque hoc quidem vnuſquiſque, qui nobilium præſertim poëtarum ſcripta paulo accuratius legerit facile comprobabit. Etenim quis eſt in philoſophia locus, ſiue de naturæ primordijs quæras, ſiue de rerum cœleſtium cauſis ijſque quæ fiunt in aëre,perturbationibus, ſiue de natura animorum, ſiue de rebus expetendis, & fugiendis, ſiue de ratione rerumpub.quis eſt,inquam, locus in philoſophia eiuſmodi à nobis poëtis vnquam prætermiſſus? Quod vero multo maiorem habet admirationem, hi, nõ quid vnus,aut alter eiuſmodi de rebus ſenſerit, tenent,ſed omnes omniũ ſententias habent notas,neque perpetuo,vt illi opinionẽ vnã,ſed modo hanc,modo illã pro libertate artis tuentur, Putãt enim eo admirabiliorẽ ſuam ſcriptionem fore, quo pluribus eam, ijſque

inter

inter se dissimilioribus, sapientum sententijs quasi dissimilium quorundam pigmentorum varietate distraxerint. Iam vero quanti illud faciendum videtur, quod in scribendo poëtæ non veterum magis decreta philosophorũ sequi solent, quam ipsi ratione vti philosopho rum, quid est enim tam philosophi, quam eximiam quandam virtutis speciem, quam ipsi ideam appellant posse exprimere? at poëtas non semper animaduertas res tales, quales sint, fuerint effingere, sed plerumque à rei veritate recedentes, aut famam secutos hominum eas eiusmodi simulare quales popularis oratio celebrarit, aut certe perfectionem quandam virtutis exquirentes, quales oporteat oportueritue, confingere eosdemque non in singulorũ virtutibus exponendis, sed fere vniuerso virtutis genere, & natura describenda, philosophorum more versari. Quamobrem iure Aristoteles poëtas omnino philosophis esse similes affirmauit: Puderet me, in re maxime seria, id quod dicturus sum dicere, nisi huius dicti grauissimũ omnium philosophorũ, Platonem auctorem haberem. Tanta, ac tam admirabilis poëtarum doctrina est, vt eam non ex humano, sed ex diuino emitti pectore antiquitas arbitrata sit, siquidem, poëtas Apollinis, Musarumq; afflatu versus fundere, & à Musarum etiam hortis quibusdam, ac syluis carmina ad nos afferre, traditum est, neque vero ante efficere quidquam poëtam posse, quam diuino quodã instinctu concitatus sit, & è sua sede mens pulsa, atque domita: Deum autem, eorum mente elata, ijs ministris propterea vti, & vatibus, vt nos, qui audimus, intelligamus, non eos esse, qui illa tam præclara dicant, qui mente careant, sed Deum esse, qui loquatur. Dixi de

poëtis, nunc de oratoribus est dicendum, quorum scripta si quis propius inspexerit, ea non magis ex rethorum, aut grammaticorum scholis, quam ex eruditissimis dialecticorum, & philosophorũ spatiis prodijsse fatebitur, quippe, quorum præceptis informatos, atque imbutos eos ad dicendũ venire oportere, Aristoteles etiã prudentissime, verissimeque censuerit. Atq; hoc quidem stndium cum in communi vitæ vsu, tum maxime in gerenda republ. & humanitate, societate conciliãda, quantum valeat, illud esse argumento potest, quod quæ homines vi sępe facere recusarunt, ea prudentis oratione viri deliniti facile, ac libenter fecerũt, præclare, eloquentiam enim quoddam quasi regendæ ciuitatis instrumentum esse, veteres prudentissimi homines, crediderunt, vt, quemadmodum nauis non à gubernatore solum, sed etiam à clauo, & equus non ab equite tantum, sed etiam à fræno regeretur: sic nec respublica prudentia magis: quam eloquentia mistratuum administraretur. Itaqua scite Homerus magnos illos reges, & vt ipse inquit Iouis satus genitos, nõ magis imperio, quo plurimum valebant, quam oratione populos sibi dicto audientes reddidisse, nec studiosi⁹ Iouem, consilij parentem quam Musas, eloquentiæ matres, veneratos esse inducit. Quod si hoc à regibus factum est, quibus æterna prope concessa est ad imperandum, & cogendum potestas: quando à magistratu ipso, qui paulo post priuatus futurus est, obseruari diligentius debet, ne multitudinis animos, quo velit, aliqua imperij vi, sed solis blanditijs orationis abducat? Est autem ita comparatum, vt quemadmodum homo constat ex animo, & corpore, atque quidem impe-

rat,

tat, hoc vero paret, sic & mentem, & linguam ciuitatem administrandam adhibeamus: atque, vt gubernatoribus nauium imperantibus præsto sunt, qui mandata excipiant, atque alijs tradant: sic reipublicæ procurator mentem quidem, quæ imperet, habeat, linguam autem quæ imperata accipiat, atque ad alios deferat. Quamobrem, si menti lingua obtemperat, & ad occulta eius sensa promenda, quod ei munus natura tribuit, parata sede: quid interesse inter eorum, qui mentem, & qui linguam excolunt, studium potest? aut quis est tam ignarus rerum, qui non intelligat, materiam vtrique esse subiectam re eandem, ratione dissimilem? quod cum sapientissimus olim poëta quidem intelligeret, propterea recte, quod tres linguas teneret, tria se corda habere gloriabatur, vt enim palatus sine corde sapere non potest: sic nec lingua, nisi quod in intimis cordis sedibus sit, potest efferre. Quæ cũ ita sint: quis est, qui hæc studia ac superuacanea, aut leuia, aut plena verborum inania prudentiæ ducat, nisi qui, quod ipse assequi vel propter ingenij traditatem, vel ob laboris magnitudinem posse diffidit, id in alio damnandum esse existimet? neque vero hoc mihi videor. Auditores, temere sentire, noui enim eorũ, qui hæc iactant, industriam, atque doctrinam. Etenim, cum & ipse ab ineunte ætate publicis in gymnasiis assidue philosophiæ caussa versarer, vt cum eiusmodi hominib. vna esse quotidie, me autem domesticus vsus, & cõmunis vitæ cõiunctio docuit, eorum quibus imprimis hæc studia sorderent, doctrinam esse exiguam, infantiam singularem: pauca enim eos quædam Peripateticorum decreta tenere,

eaq; tamquam religiosissima, atque sanctissima custodire: tribus aut ad summum quatuor iam peruagatis responsionum generibus omnibus, quæ in naturæ cognitione propositæ essent, quæstionibus occurrere solere, has autẽ nõ Greco sermone explicare, de quo nihil nisi famam accepissent, non Latino, quem irriderent, irriderent, sed nouo quodam, & ante inaudito loquendi genere, de quo ne inter omnes quidem eos cõueniret cum suorũ sibi quisq; non verborũ, sed portentorũ faber, quæ opifex esset, exponere, reliquarum artium omnium, quæ ad humanitatem pertinent, eos plane expertes ac rudes esse: hac illos ratione sibi Philosophi nomen arrogare, & se, tanquam Peripateticos, venditare, ex diuturna, vt dixi, eorum consuetudine iampridem animaduerti. Quos quidem si non iudicio sed desperatione ad hanc sententiam, tamquam ad scopulum ab æstu, & tempestate, adductos esse dicam, quod duarum linguarum cognitionem, & magnitudinem exhorruerunt, quod maximos orationis illustrandę labores pertimuerint, quis est, qui me iure possit reprehendere præsertim vero cum ea studia, quæ à se aucta, & ornata magister eorum voluit Aristoteles, ipsi sibi vituperanda, atque damnanda susceperint? O corruptos huius nostri seculi mores, & penitus deprauatam veterem disciplinam, philosophi quondam etiam nobilissimi magistros dicendi studiosi audiebant. (siquidem Hermogeni Musonium diligentissime operam dedisse proditum est) nunc rhetores à philosophis vel infantissimis irridentur, illi sibi dedecori esse ducebant, nisi ornate, quæ sentirent, eloquerẽtur: hi sibi vitio tribuunt, nisi omnia impure, & deprauate loquantur, illi suo

exem-

exemplo iuuentutem ad mentem, & linguam excolendam & quodammodo ſubigendam, quo ad poterant, impellebant: hi perpetua linguarum excogitatione à ſumma gloria ciuitatum ſtudia deterrere conantur. quanquam, vt dixi, gratulor, tam pernicioſa opinione nondum huius ciuitatis animos eſſe imbutos, viget enim, & vt ſpero, in perpetuum vigebit in hac ciuitate antiquæ diſciplinæ ratio: &, quem in optima quaque hactenus ſemper habuit, eundem in hac rep. habebit locum eloquentia. Sed, ne in aperta vndiq; vrbe eiuſmodi opinioni aditus eſſe poſſet, nolui, à quibus vobis cauendum eſſet, ante denuntiare, ac potius nimis vobis cautus in re fortaſſe non admodum neceſſaria iudicari, quam parum veſtræ vtilitatis, & laudis ſtudioſus examinari: tantum enim abeſt, vt tot, qui non verbotenus ſed reipſa & veritate doctrinæ philoſophi ſunt, vlla ratione contemnam, vt ipſe eorum, qui illos non admirantur, ſed prope venerentur appetam principatum. Itaq; quod ab his ſtudiis mihi conceditur temporis, id omne libenter in eorum præceptis cognoſcendis cõſumere ſoleo: ac tũ deniq; ornate mihi dixiſſe videor, ſi quid aliquando ſapienter me dixiſſe intelligo. Qamobrem, ne in hac arte tractando omnino à nobiliſſimis philoſophorum inſtitutis, & maxime Ariſtotelicis recederem. ſtatui vobis hoc anno libros Ariſt. de arte Rhetorica. atq; poëtia interpretari, partim vt intelligerent omnes hæc etiã ſtudia à philoſophis eſſe profecta, partim vt ijdem ſcirent, quanquam natura in vtroque genere maximum habet momentum, tamẽ artem ipſam ab optimo auctore traditam, imbecillam etiam naturam poſſe quam maxime confirmare. Nolite enim ijs aſſen-

assentiri, Auditores, qui poëtam ingenij magis viribus excitari, qui doctrina perfici putent, eumque à Musis potius quam ab huius artis doctoribus eruditi, sunt enim hæc quondam à philosophis, & à poëtis ad studij huius dignitatem & amplitudinem comparata: quæ reuera aut nulla vnquam fuerunt, aut certe nunc nulla sunt: vbi enim sunt istæ Musæ, Auditores, quærite: peragrata Thraciam, vbi Libethra, perlustrate Phocidẽ, vbi Parnassus, circuite Bœotiã, vbi Helico sacrũ eis esse domicilium dicebatur: nusquam eas, mihi credite, reperietis, habitant enim nunc musæ, habitant in pulcherrimis eruditissimisque veterũ poëtarum, & antiquorum eius artis magistrorum scriptis; atq; ibi sacrarium suum augustissimum collocarunt. Quare, qui se ad eorum lectionem studiose contulerit, quiq; singularem illã dicendi vim, quantã poterit, fuerit imitatus, hunc demum & Musis amicum esse, & ex earum præscripto versus facere, prædicabimus, hunc amabimus, hunc admirabimur, hunc denique in cœlũ laudibus efferemus. Quamobrem si res vlla tanta potest esse, quæ vestras mentes ad laborem possit quasi quibusdã facibus inflammare: hæc studia illa sint, in quibus merito quodã quasi ardore gloriæ conflagretis. Etenim, si athletæ, cęterique qui viribus freti corporis, ad depugnandum descendunt, omni neruorũ conatu, diuturnæ prope laudis gratia, in aliquo populari consessu contendũt? quanto vos acrius niti viribus ingenij decet, quibus in maximo prope orbis terrarũ theatro positis perpetua æternaque laus est constituta? nam vt corpus mortale atque caducum est, animus immortalis atque æternus: sic ea, quæ corporis robore pariuntur, fragilia, quæ vero ani-

animi viribus perennia & sempiterna putanda sunt, quæ eo etiam præstantiora existunt, quod omnia sunt in vestra virtute ac diligentia sita, cum cætera plerumque fortunæ fallacis arbitrio gubernentur. Vrgete igitur hanc tam præstantem occasionem, iuuenes, atque repudiatis malis suasoribus, in hæc studia incumbite, quib. nulla aut ad vsum vberiora, aut ad delectationem suauiora, aut ad laudem illustriora reperiuntur. Habetis ætatem oportunissimam ad discendum, scriptores ornatissimos ad imitandum interpretem vero cum ante alias, tum hoc maxime tempore vestrarum vtilitatum studio vehemẽter incensum, alios fortasse populos contemnere eloquentiam decet: vos, ad tantã gloriam, & amplitudinem imperij, atque reipublicæ natos, ei comparandæ profecto indormire non decet.

ORATIO IV.

Caroli Sigonij pro Eloquentia.

Habita Venetiis M. D. L V.

SI QVIS est, qui miretur, Auditores, cur aliarum omnium artium plures hos tempore, quam literarum in studio, elaborent; is tum denique meo iudicio, mirari desierit, cum veram huiusce facti caussam mente, ac cogitatione comprehenderit. Mihi quidem in hoc acrius intuenti cum multæ aliæ probabiles huius rei rationes, tũ hæc vnã in primis posse reddi videtur quod reliquæ artes, vel propter vsum, vel propter oblectationẽ magno nũc apud homines in pretio sint; litterarum studia, vel rerum obscuritate, vel discẽ-

di labore, prope ab omnibꝰ diſerta iam diu obſoleſcāt, quamquam non omnium litterarum eadem videtur eſſe conditio, vt enim earum quoque ſtudium maxime vendibile eſt, ita vehementiſſime à nobis hoc tempore celebratur. Age enim, legum, ac iuris cognitio ſummas afferre opes iuriſperito in ciuitate exiſtimatur: morborum curandorum ratio magna item habere ad tuendam vitam adiumenta creditur: ergo omnino non improbatur: at vero philoſophiam, & eloquentia, id eſt, bene de omni propoſita re ſentiendi, dicendique orationē, pauci admodum amplectuntur. Sed de philoſophia alio loco: nūc, quod ad nos attinet, de eloquentia diſputemus. Equidem in hac ciuitate eo indignius propugnatur, quo, aliunde pulſa, ab hac repub. humanius excepta, ac iam per multos annos liberalius culta eſt, vt verendum magnopere videatur, ſi, quod alij alia ratione moliuntur effecerint, ne ex nobiliſſimo hoc libertatis, & gloriæ domicilio, in quo iam pridem honeſtiſſime commoratur exacta, vix regionem vllam inueniat, in qua libera conquieſcat. Quamobrem præſtantiam hominis alij merito hoc loco verbis extollant: de virtute alij atq; de optima rep. diſputent: ego vero, cui in hac ciuitate patrocinium eloquentiæ publice cōmendatū eſt, eloquentiæ ſtudia, vt ſoleo, publice ex hoc loco defendam, à quo autem defendam? non ab alienorum quorundam ab his ſtudiis hominū impetu, quod priore anno ſuſcepi, ſed ab eorum, qui dicendi in primis grauitatem, & copiam admirantur quo fit vt hæc, quam illa quemadmodū iuſtior, ſic acrior defenſio futura ſit, ſi quidem tum à barbaris, apertiſſimis hominibus, nūc à diſertiſſimis, inimicis, & huius potiſſimum gloriæ cupidis,

pidis, id eſt, à ſuis cauſa præclara hac dicendi ratio oppugnatur. Eſt enim non leue genus quoddam hominũ qui eloquentiæ ſtudio tenentur illi quidam, verum eã non eruditorum hominum arte contineri, ſed in quodam ingenij genere verſari ſtatuunt: atque naturam ipſam, qua non repugnante magna ſe atque præclara omnia aſſecuturos eſſe in dicendo confidunt, ita amplexantur, vt locum prope nullum in hac facultate doctrinæ relinquant, vnde autem, aut quibus potiſſimum rationibus, vt ita ſentiant, adducuntur? Primum ſuperuacaneum laborem ſuſcipi cenſent, ſi, cum, ſine ſtudio ad ſummam perueuire eloquentiis gloriam poſſint, fruſtra doctrinæ adiumenta, atque præſidia quærant. deinde, cum multo faciliorem eſſe naturæ viam opinentur, artis obſcuritatem, ac præceptorum varietatem, & multitudinem reformidant; poſtremo mouentur etiam nonnullorum exemplo, qui quanquam nec præcepta vlla didicerunt, nec ea ſcire curarunt, non minimam tamen in dicendo laudem ſunt adepti. Quæ omnia quam leuia, atque inania ſint, decreui vobis, Auditores, hodierno die, quo frequentes, vt ſoletis, in hũc locum ad intermiſſa hæc litterarum ſtudia reuocanda conueniſtis, oſtendere, nimirum, vt in hoc genere non ſolum quid ſequamini, ſed etiam quid declinetis, me potiſſimum auctore, quod ita voluiſtis, habeatis. Ego enim ſic ſtatuo atque hoc quidem maximis etiam ac ſapientiſſimis viris, auctoribus, confirmo, neminem non modo ſine dicendi doctrina, ſed ne omni quidem ſine ſapientia excellere laude vlla eloquẽtiæ poſſe. Illud autem ſatis mirari non poſſum; tam rudi, atq; hebeti quẽquam ingenio reperiri, qui, cum totum hoc genus ani-

mo complectatur, artem aliquo modo à natura ſeiungat, atque ſola vel natura, vel ratione duce ſe proficere quidquam ad nominis celebritatem poſſe in hoc ſtudij genere putet, neq; idem intelligat, ſe dum natura exornat, artem ipſam, quæ à natura tota profecta eſt, exornaret. Etenim quid eſt aliud hæc ſiue ars, ſiue ſtudium, ſiue exercitatio dicendi, quam collectio quædam & coa cernatio rerum earum, quas oratores, naturam intuentes, in dicendo ſuſcipiunt; aut qui demum alij eximiam hanc vim eloquentiæ pepererunt quam cum ab initio alii temere, alij conſuetudine dicerent, qui, quid eſſet, quare hi apertius, quam illi, dicerent, obſeruarunt? ſiquidem, hæc antiquiſſima præceptorum omniũ ratio fuit, non vt ea ſecuti homines eloquentia laudem aſſecuti ſint, ſed vt, quæ ſua ſponte oratores facerent, ex iudicio delegerint, oratione deſcripſerint, generibus illuſtrarint, partibus diſtribuerint, ita non eloquentia ex artificio, ſed artificium ex eloquentia fluxit, atq; initiũ quidem dicendi natura, principium artis naturæ obſeruatio introduxit. Hoc tam præclaro fundamento iacto, in eodem, vt dixi, rerum genere artem verſari, atq; naturam nunc, quæ deinceps innumerabilia conſequantur, quibus mirabiliter augeri, atque ornari ars ipſa poſſit attendite. Hoc enim dico, non eundem ſolum artis effectum eſſe, atque naturæ, ſed multo etiam nobiliorem, & præſtantiorem eſſe, quam naturæ, quamobrem quia natura, niſi expoliatur ac perficiatur ab arte, per ſe rudis eſt, & imperfecta, neque enim ea nos tales genuit, vt eam ſolam ſpectantes, curſum vitæ præclare conficere ſine ratione, atque doctrina poſſimus: paruulos tantum in nobis ſcientiæ: excitauit igniculos, atque

exi-

exiguas quasdam rerum notitias informauit. Itaque ars adhibenda fuit, vt ad ea, quæ vix inchoata acceperamus, consequentia exquireret, quoad esset id, quod cupiebamus, effectū. Etenim (vt ad singula veniamus) quid paranda domo aut auidius fingi natura potuit, aut arte solertius? illa vsum tantum, hæc etiam dignitatem quæsiuit. illa tectum solum, hæc atria quoque, & vestibula fabricauit: illa deniq; vt solis, & imbris iniurias arceremus, hæc, vt ibi etiam aliqua cum honestate, ac delectatione commoraremur, ostendit. Referte nūc animum ad militarem, & oratoriam laudem: profecto reperietis, vt nos, naturam secuti, omnem vim, quacumq; ope possumus, à corpore, à capite, à vita nostra propulsamus, diuturna autem obseruatione diligentē quandam rationem armorum, telorum, copiarum, atq; insidiarum comparauimus: sic quanquam ita facti à natura sumus, vt & blandiri ijs, apud quos dicimus, & rem gestam narrare, & nostra confirmare, contrariæ refutare, & ad extremum deprecari & conqueri sponte possimus, tamen nos hæc multo acutius, ornatius, ac diligentius, quadā accedēte doctrina esse facturos. Adde quod tardius opus suū natura prodit, subsidijs autē rationis instructa maturius quid enim? nonne valetudinem per se quisque etiā sine medicamentis, vel tueri, vel recuperare potest? cur autem adhibentur? nempe, vt id fiat celerius. Terra item, vario leguminum genere fœta, fruges sua sponte fundit: at quanto citius, si aliqua colendi quasi disciplina accesserit? Quod si in ijs quæ in nostra potestate non sunt, naturam ipsam per se forte lentam, industria incitamus: atque acuimus: profecto multo facilius id faciemus in ijs, quæ nostro prorsus

ingenio comparantur. Quid, quod multa, arte duce, adepti bona ſumus, quibus omnino nobis à natura fuerat interdictum? Etenim maris, atque nauigationis vſum natura immenſo fretorum interuallo nobis intercluſerat, ars aperuit: immanium beſtiarum commoda ſuſtulerat, ars reſtituit, aliarum occultarat, ars indicauit: ſiquidem naues, & nauigandi rationem reperit, & equos boueſque manſuefecit, atque ad vſum hominũ tranſtulit, & oues, quarum villis confectis, atque conſertis, veſtimur; quemadmodum alerentur, vt ex ijs fructus cultu, atq; curatione noſtra perciperemus, edocuit. Ergo, vt apparet, ars neceſſaria eſt ita, vt ne admirabilia quidem naturæ bona nobis ſuppetere ſine quadam ratione atque induſtria poſſint, hoc autem vel maxime hinc intelligi in dicendi ſtudio poteſt. Quis enim ſine philoſophia, ſine dialectica, ſine legum, morum iuris ſcientia, hanc laudem ſatis callide tueri, atq; acute poterit; at hæc non ingenio magis, quam induſtria, nec natura poti⁹, quã doctrina, percepimus. Quid quod vicioſam, & mancam ſæpe naturam ars, neceſſarijs rebus adijciendis, redundantibus amputandis, emendat; vt enim ſegetes fœcundæ, & vberes naturæ, non ſolum fruges, verum etiam herbas edunt infeſtiſſimas frugibus: ſic feraciſſima ingenia multa parere, atq; inuenire, ad dicendum aut leuia, aut parum vtilia, & apta, poſſunt, quorum arte magiſtra, diligens ab oratore delectus habebitur. Neque vero, ſi quis obtuſo forte ac prauo erit ingenio, id ars non aliquo modo acuit, & corriget, ſi arido, atque ieiuno, non alet, atque augebit, indicat nobiliſſimi huius artis doctoris Iſocratis peruagata illa ſententia, qui cum Ephorum frænis, Theopom-

pompum calcaribus egere dixit, quid aliud, quam in illo præcipitem concitationem, in hoc lentam tarditatem corrigendam, ac parum rectum eorum ingenium doctrinæ cuiusdam quasi regula dirigendum, intelligi voluit? Cum ergo ratio eundem, quē natura, finem intueatur, eundemque sæpe prętantius etiam, quam ipsa natura, attingat, cumque multa bona, quib⁹ nos natura quodam modo spoliarat, ipsa suppeditet atque omnino naturam adiuuet, & emendet: profecto, quantum in hominis detrimenti inferant, qui tam, multa commoda despiciunt, irrident, reprehendunt, plane constat. Etenim, quid est aliud, cur nobis hoc tempore, i. e. tam sero, natos esse, lætandũ sit, nisi, vt multa, ab æqualibus nostris prudenter, & acute in doctrinæ genere ex cogitata, cognosceremus, quib⁹ eos, qui superiore memoria vixerunt indiguisse non ignoramus; quorum ea vis est, is vsus, vt ijs demum cognitis, vix carere vita hominum posse videatur. An vero cæteris in reb. egregie veterum hominum instituta, & præcepta retinebimus, in hac vna tã varia, & tã multiplici dicendi facultate repudiabimus? Cur ergo Aristoteles, cur Cicero, cur alij summi viri tã multa dicẽdi præcepta litteris, & memoriæ cõsignarunt, quidẽ habitus ipse naturæ per se satis ad dicendũ valebat? an vt onus nobis minime necessariũ imponerent? non opinor: sed vt excellentes ingenio viros subleuarent, hebetes acuerent, inertes excitarent postremo, vt omnes homines vnde verã, & solidã gloriam quærerent, haberent. Non enim omnes eodẽ præditi ingenio eadẽ præstare natura duce possunt, quę arte magistra possunt; neque enim ingeniũ omniũ est idem, at ratio omnib. est eadẽ, quę doceat, quæ instruat,

quæ corrigat, quæ in viam deducat, quamobrem habet hoc ars, vt omnib. aditum ad eximiam laudem patefaciat, solis vero naturæ copiis instructi aspirare ad eandem nō omnes facile possunt. Ego porro ita censeo aut hoc totū orationis illustrandæ, & cumulandæ studium eloquentiæ ab omnibus repudiandum esse, aut prorsus ab omnibus amplexandum, cur? ne, si qui nulla ad dicendum parati doctrina veniant, ab iis, qui parati sint, si vel in senatu vel in foro de rep. vel de re clientis inter se forte contenderint, inertia sua de nobilissima gradu victoria depellantur, quamobrem, quia nemo fere non in se habet naturalia quædam ingenij semina, at artificium, non nisi qui diuturno studio quæsierunt, adepti sunt. Quo fit, vt qui artem assumpserint, naturæ bono ne careant; qui naturam afferant, doctrinam, quā contempserint, afferre nullā possint. Sed hoc fortasse leue, qui ad illud quam contemendum est, neq; enim dubiū esse potest, quin si ars vna corruet, reliquæ eodem concussę motu subito concidant, sunt enim omnes, pręsertim quæ liberales appellantur, adeo arcto inter se vinculo constrictæ, vt quemadmodum altera vix sine alterius adminiculo constare, ita nec tolli sine alterius interitu possit. An vero extingui oratoria laus potest, nisi gubernandi, & disserendi ratio simul obscuretur, ac prope obruatur? quarum vnius hæc quasi propago esse alter quasi ex altera parte respondere existimaretur aut omnino oratoris quisquam studium delere, poëta relinquere, aut has omnes artes remouere, reliquas constituere poterit, quibus sublatis, profecto incredibiles ingeniorū acies obtūdantur necesse est. Etenim vbi industria, qua artes continentur, atque augen-

gentur, obtorpescit, ibi nec ingenium, quod ab ea acuitur, valere satis potest, cuius si lumen extinguatur, videte quem tandem in locum omne hominũ genus peruenturum putetis? siquidem humana vita ferro similis est, vt enim ferrum, si exerceas, conteritur, si non exerceas, tamen rubigine pereditur: sic homines exercendo conteruntur, si non exerceantur, inertia atque torpedine plus detrimenti accipiunt, quam exercitatione: vt autem socordia naturæ vires infirmat, sic socordiam tollit industria, quæ diuturna consuetudine confirmatur. Est etiam illud diligentissime prouidendũ, ne quid ab hominibus committatur eiusmodi quo humana natura peccare possit: nam si vel paululum lapsa fuerit, facile, pro sua infirmitate præcipiti ruina corruet. Hoc autem aptissime consequemur si nostro quisque ingenio non habenas effuderimus, sed frænum iniecerimus, nec suis fretum viribus inani efferri insolentia patiemur, verum honestissimis industriæ carceribus, veterum summorum virorum exemplo continebimus. Quos equidem cum multis aliis de rebus sumo laudandos esse censeo, tum quod cũ de se forte gloriosius prædicarent, ingenio nihil, industriæ plurimum tribuebant, illud extenuabant, hanc augebant, illud dissimulabant, hanc præ se ferebant. Quam multa naturæ incommoda Demosthenes superasse traditur studio lingua vocis, spiritus motus? quam multa Cicero? quam multa alij? quæ præcepta collegisse dicuntur? num quia ingenio nullo essent? minime vero: eo enim excelluerunt: an quia se solis naturæ opibus admirabiles in dicendo futuros desperarent? ne hoc quidem: cum natura habitum prope diuinum ad dicendum attule-

tulerint, cur tandem quia tardum ac pingue ingenium quam valde excitari, atq; extolli præceptis doctrinaq; posse intellexerunt, & quia tam lautam, ac tam magnificam oratoris suppellectilẽ multo tum maturius, tum etiam facilius se paraturos esse ratione, & via, quã ingenio & natura, crediderunt. Etenim quis est vel acertimo ad dicendum ingenio præditus, qui plane sine lumine aliquo præceptorum, rationem posset caussæ cognoscẽdæ videre, partes eius, ac status omnes animo comprehendere, argumentandi vim variam, atque reconditam intelligere? præterea, quis initio captandas eorum qui audiunt, voluntates, deinde rem exponendam, postea controuersiam constituendã, tum id quod intendimus, confirmandum, quæ contra dicuntur refellenda, extrema autem oratione, quæ pro nobis sunt, augenda, quæ pro aduersario, abijcienda sine præceptorum doctrina cognouerit? Quæ omnia etsi pariter ab indoctis, & rudibus temere, & nec vlla ratione fortasse fiunt: aptius tamen certe, & callidius à peritis Argumento sunt ea, quæ de actione, & memoria tradita sunt: quæ licet maxime propria naturæ sint, in his tamen excolendis ars, & moderatio quædam etiam adhibetur, nam lingua, vox, latera, vires, animus denique ad memoriam firmus, quæ nobis à natura donantur, præceptis ita & studio conformantur, vt æque multa de his imbuendis, & fingendis, at qui de rebus inueniẽdis, collocandis & ornandis, veteres dicendi artifices sibi præcipienda esse statuerint. Quæ cum ita sint, reliquum est, vt, quod secundo loco positum erat de difficultate damus. Illud enim crebrioribus, quam vellem, vocibus audio celebrari, difficile esse orationẽ tam mul-

multis ac tam variis quæ didicerit, præceptis occupatũ facile atque expedite, quod sentiat, explicare; ac tam multis in partes animum, mentemque distrahere: præsertim vero, cum oratio conformanda sit non solum lectione, sed etiam constructione verborum, cum omnis ratio, vnde ad probandum elici aliquid possit, aperienda, omnis vis dicendi in eorum, qui audiunt, mentibus aut incitandis, aut reflectendis exprimenda, omnis denique hæc, vt res, vt tẽpus, vt locus postulet dispensanda, atq; tractanda sint. Ego vero hoc non difficile solũ esse, sed ne omnino quidem fieri posse puto, si quis tum plane oratorie loqui velit, cum præceptis oratoriis est instruendus, aut si quis tum deniq;, cum dicit præcepta artis mente peruoluat. Nam sicut in legendo, si quis literas, vocesq; singulas secum perpẽdat, cum legit, is ne syllabam quidẽ scite pronunciare possit, sin autem ante in singulus literis cognoscendis elaborauit, deinde cõiungendis literis, syllabas compararit, primo quidem tardius leget, deinde consuetudine paulatim expeditã quantam ac profluentem legendi celeritatem adipiscetur: sic in hoc studio, si quis eodem tempore, quo præcepta perdiscit, se præclare, ac scienter esse dicturũ existimet, vehementer errat: sin autem ea quæ multo ante studio, atq; doctrina perceperit, diuturno post vsu, atq; exercitatione tractarit, eã facultatẽ profecto consequetur vt quacunq; de re facile dicere, nulla prope artis habitæ ratione, sed non sine summo tamẽ artificio possit, si autẽ grammaticum, nõ miramur, quod facile recte loquatur, ne genera & casus in dicendo intueatur, quod exercitatione effecit, vt facile nõ congruenti solũ, & interdum etiam ornata locutione vtatur, nec cytharœ-

 dum

dum, quod, cum manum mouet, ad numeros proportionum, & fidium animum non intendat, quia, ex habitu iam longa tractatione coroborato, omnes digitos ita profert, vt nunquam cum velit neten pulſare, hypaten pulſet, nunc quid miremur oratores, vbi diu multumq; verſati, in dicendi ſtudio fuerint, apte & diſerte non magno negotio poſſe dicere? Cur igitur homines prauã hanc opinionem mentib⁹ imbiberũt? Quia pauci ab ineunte adoleſcentia dicendi copiæ ſtudent, vbi vero iã ætate corroborata fuerint, & ad honores petendos, aut ad cauſas agendas animum applicuerint, tum, cũ intelligunt, quantum ad gratiam, quantum ad opes, quantũ ad gloriam eloquentia valeat, ad hæc ſtudia vel inuiti ſe conferunt, & eodem die geſtum diſcere, atq; in ſcenã prodire volunt, ſi autem magiſtrum dicendi forte quẽpiam audiant, tum ab eo quæ ne multis quidem annis penitus cognoſci poſſunt, vno ſtatim die haurire omnia cupiunt. Quod vbi minus ex ſententia ceſſit, tum tota dicendi arte in perpetuum deplorata, ſuo cuique ingenio laborandum, ſuis nitendum viribus eſſe, forum ludum frequentari oportere cotendunt. Summo labore eloquentia paratur? merito. Vt enim quidque præſtantiſſimum ita maximis vigiliis comparatur. Ne longius abeam quid eſt virtute, & gloria præſtabilius; atque, virtutem per laboresiter facere ſummi quondam pœtæ fictis fabulis prodiderunt, iidemq; etiam laborẽ gloriæ parentem appellarunt. Neque vero imperite alij quidam, qui bona hominibus omnia à diis immortalibus nullo alio, niſi laborum noſtrorũ pretio vendi affirmarunt, nos tamen his contemptis præceptis difficultatis patrocinio ſegnitiem pręteximus, neque enim ſapien-

tiam ipſam per ſe,nec quia res honeſta, atque omnium pulcherrima ſit,ſed ad vilem vſum,& ſordidum quæſtũ expetimus: cõtra veteres omni laude cummulatiſſimi. Demoſthenem enim tanto ſtudio doctrinæ flagraſſe fe runt,vt etiam doleret, ſi quando opificum antelucana forte victus eſſet induſtria,ſcilicet vir ille ſummus ægre ferebat,ſe,qui opus immortale tractaret, ſummum ca-pere fabris ipſis ad rem viliſſimam excitatis. Plato etiã qui vir dij immortales?ſomnum nimium & animis, & corporibus obeſſe,vigiliam ei, qui & vitæ, & ſapientiæ cupidus eſſet,aptiſſimã eſſe cenſebat. Atq; eundẽ etiam Platonem accipimus tanta induſtria in diſcendo fuiſſe, vt diſciplinis,quas erudititiſſimæ Athenæ præſtare pote rant, non contentus, ad Pythagoram magiſtrum,tum in Italia ingenii,doctrinæ, ſapientiæ, gloria florentiſſi-mum nauigarit,ac Ægyptiorum ſacerdotes adierit, & eorum arcana perdidicerit, Pythagoras autem ipſe nõ Ægyptiorum ſolum, ſed etiam Perſarum regionẽ per-luſtrarat, & Cretam, ac Lacedæmona, ac ſicubi quid eſſet,quod dici poſſet, eo penetrarat, Quos viros o-mnes potius, quã eos, qui nunc iſta proferunt, cenſeo eſſe audiendos,neq;laborẽ vllum,in tam amplis pręſer-tim pręmiis,quę eloquenti viro in libera ciuitate propo ſita ſunt recuſandum,vero tanto alacrius optimo cui-que adoleſcenti ad tantæ ſpem gloriæ ſuſcipiendum eſ-ſe, Neq; vero me paucorum quorundam, quos iſti ſine ſtudio, ac ſine doctrina admirabiles oratores extitiſſe commemorant,exempla mouent. Ego enim ſic exi-ſtimo, Auditores, aut eos ipſos, ſi quid modo in dicen-do potuerint,ne artis quidem penitus expertes fuiſſe, verum eam,vt nimis fortaſſe in hac ciuitate ſuſpectam,

callide occultasse (fuit enim hæc quondam magnorũ etiam oratorum ratio; vt eo probabiliorem fore orationem putarent suam, quo minora artis adiumenta quæsisse existimarẽtur) aut certe si ad diuinũ eorũ ingenium doctrina, cõfirmatio aliqua & præceptorũ aliquid deest accessisset, multos ipsos fuisse admirabiliores & prẽstãtiores futuros. Quanquam ne si vnus quidem aut alter eo fuit ingenio, vt sine aliquo studio naturæ ipsius habitu prope diuino, per se ipsi eloquẽtes extiterint, propterea vestigiil illorum potius insistendum esse censeo, quam eorum, qui innumerabiles subsidiis artis fulti, incredibili dicendi gloria excelluerũt: Quáobrẽ hoc quidem consilij omnibus, qui eloquentiæ laude ducuntur, adolescentibus dederim, quorum incredibilem prope numerum in hac gloriosissima ciuitate esse intelligo: ne suo nimium ingenio freti, autem, quæ naturam, vt dixi, partim imitando, partim corrigendo, partim grauiores artes assumendo locupletat, aspernentur, ac respu ant: quæ cum in veterum summorum oratorum imitatione, tum in præstantium Rhetorum assidua lectione versatur: neq; difficultate, quæ huic studio proposita esse dicatur, vlla deterreantur. Hæc mea hoc toto de genere sentẽtia est Auditores, quam hodierno die, vt vos ad hanc laudẽ studiose persequẽdã pro meo officio cohortarer, tanquam perpetuæ meæ erga vos voluntatis iudicem, testemq; exposui quam plenissime, & quem breuissime potui. Equidem fateor me exigui huius laboris mei fructum maximũ percepisse, quod me, hæc studia iam per annos quatuor acerrime defendentẽ, diligẽter audistis. Etenim primum eloquentiæ vim atque vsum verissimis atq; ornatissimis laudibus extuli: deinde eos,
qui

qui ingenij & rerum desperatione debilitati ad laudem veterum peruenire, cum in omni, tum in hoc maxime studio se posse diffiderent, confirmaui, atq; ad spẽ summæ gloriæ incitaui tum qui rerum studio delectati, barbariem orationis affectarent, elegantiã dicendi vituperarent, fregi atq; abieci: nunc autem demum intestinas etiam nostrorum insidias patefici atq; occultam quasi quandam contra eloquentiam coniurationẽ indicaui. Hoc idem dum licuerit, in perpetuum faciã: neq; reprehensionem vllam verebor, dum in his studiis non tam interpretatione mea illustrandis, quam ab iniquorũ obtrectatione defendendis elaborabo, me enim cũ veritatis, tum vestræ etiam gloriæ studiũ incitat: quos omnes cum aliis veræ laudis insignibus, tum eloquentiæ maxime ornatos esse valde cupio. Magnum etiam semper fuit, atque erit omni liberæ ciuitati eloquentiæ decus: maximum autem huic Reiqub. quod in hac sola prope apud homines his temporibus veræ & germanæ vestigia libertatis appareant. Est autem æquum, qui Romanæ in Italia libertatis honestissimam hæreditatẽ creuerunt, eosdem etiã eius comitis, & sociæ eloquentiæ creuisse, atque vtriusq; rei patrocinium pari studio, ac diligentia custodire, libertatis autem, & eloquentiæ summus fructus est gloria: quem quidem vos aut nullo modo, aut certe perpetuo studio, atq; labore vestro magnã in hac Repub. consequimini, quod vtinam aliquando pro singulari mea erga vos, atq; istam Ciuitatem charitate, aut me hanc scholam obtinente, aut certe viuente, contingat.

CAROLI SIGONII DE LATINÆ LINGVÆ VSV RETI-nendo.

ORATIO V.

Habita Venetiis M. D. L VI.

QVEMADMODVM antea, quamdiu à vobis abfui, Auditores, nihil me triftius, nihil miferius extitiſſe confiteor, quod, quam incommoda valetudine laborantem, quam de ſua ſalute ſolicitam optime de me meritam ciuitatem reliquiſſem, mecum ſæpiſſime cogitabam: ſi hodierno die, cum vos eoſdem, id quod ego perpetuis interea votis, ac precibus à DEO abſens poſtulaueram, ſummo periculo prorſus emerſiſſe video, cum tanta animi voluptate afficior, quanta percipi ab homine poteſt maxima, tum vero Deo ipſi immortales gratias ago, qui hanc Remp. & ſalutem, & dignitatem totius Italiæ, vos ad huius Reipublicæ decus, atque præſidium, meipſum veſtris, quib. ſemper conſueui, cõmodis incolumẽ conſeruarit. Etenim hæc omnium hominũ conſtans Opinio eſt, eas Veneti Ciuitatis opes, eam Veneti imperij magnitudinem eſſe, vt huius demum vnius vrbis ſtatu vniuerſæ Italiæ incolumitas atque amplitudo nitatur: neque vero poſſit vllũ hæc Reſpublica detrimentum accipere, quo non eodẽ omnes penitus Ciuitates Italiæ conflictentur, veſtra autem virtus, vel è præſtanti maiorum hauſta nobilitate, vel liberali parentum confirmata inſtitutione, tanta eſt, vt hæc ciuitas magnam præſidij, digni-

tatiſq;

tatisq; suæ spem in vobis collocare si diu vita suppedita uerit, iure possit. Nam de me ipso hoc possum confirmare, me, vt ante ad tristissimū quemq; de hac ciuitate nuntium ingemuerim, atque imminentem eius sæpe calamitatem absens defleuerim ita vt me ipsum demēs sæpe reprehenderem, qui non in quemcunque casum vobiscum remansissem, sic nunc meum consiliū vehementer probare, qui me vestris omnium commodis, ac publiciæ huius vrbis vtilitati reseruarim, ac mihi ipsi, quando cæteris tum non possem, quacunque ratione prospexerim. Quamobrem si præcipuo Dei munere suā aliquando huic Ciuitati salubritatem, egregia magistratuū diligentia pristinā vrbi faciem admirabili Senatus constantia omnib. Italiæ populis antiquam spem salutis, & incolumitatis restitutā videmus: & nos etiam quantū est situ in nobis, huic vrbi vetera dignitatis insignia intermissa hæc literarum studia reuocantes, prōpto animo reddamus. Quod ipsum haud difficile factu opinior, si vos & pristinæ vestræ virtutis, atque harum, quas nos profitemur, literarum, & fructus, & dignitatis memineritis. Quibus de reb. cū sæpe alias disseruerim, nullum certe hoc tempore verbum facerē nisi me nouorum quorundam hominum ratio, quos iam nimium multos esse sentio, ad hanc orationem adduceret. Sunt enim qui vel ingenio suo diffisi, vel laboris magnitudine fortasse deterriti, hoc tempore in nostro hoc literarum curriculo ita versantur, vt nouam hanc vulgarem quam vocamus, linguam vnam amplectantur, Latinā illam veterem penitus aspernentur, quos ego quia perniciosa & falsa duci opinione censeo, ac, sua illi non mediocri auctoritate egregia vestra ne remorentur studia

valde

valde vt debeo, pertimesco, nihil alienum me facturũ esse arbitratus sum, si hodierno die, quo mihi languentes vestri ex superiore studiorum intermissione animi solenni cohortatione sunt excitandi, quid hac tota de ratione sentiam, vobis breuiter aperirem: atq; illorum refutata sententia, vos ad linguæ Latinę vsum non retinendum solum, sed parandum etiam inflammarem. Primum igitur illud satis constat, omnibus antiquo naturæ concessu datum esse hominibus, vt sensa animi sui verbis eloqui, atq; oratione exprimere possent, sed factum est tamen nescio quomodo, vt mens omnibus tributa sit eadem, oratio vere non eadem. Etenim vt non eodem modo nunc Itali loquuntur, atq; Galli, nec Hispani, atq; Germani: nec hi omnes, atque reliqui Europæ populi: sic nec easdem voces quondã Phœnices vsurparunt, atq; Aegiptij, Chaldei, Græci, atque Latini. Neque vero hæc linguarum tanta varietas ac dissimilitudo vniuersas solum inter se prouincias, sed partes etiam ipsas prouinciarum inuasit: vt quemadmodum nonnulla hoc tempore est in Italicis etiam vocibus differentia, sic tum eadem esset in Græcis. vnde tanda est vel ad vitæ vsum, vel scientiæ fructum exorta difficultas, vt, qui in reb. vel agendis, vel intelligendis excellere velit, vix vna, aut duabus linguis, esse contentus possit: si qui autem aliqua loquendi vnquam gloria floruerunt, ij profecto Græci, ac Latini fuerunt: hoc cum annalium veterum monumenta testantur, tum ex oratoribus etiam ac scriptis eorum ornatissimis intelligi, potest: Ac Græcí quidem, vt otio, studioque, sic doctrina & eloquentia abundarunt. Latinos autem rei militaris primum, deinde dicendi, atque intellgendi studium

dium occupauit:ſed tamen, vt ex fonte riuus, ſic ex Grę corum ratione Latina fluxit oratio: non tam apparata illa quidem ac diues, ſed grandis tamen, & ornata, & ad quidquid velles, ſignificandum aptiſſima: atque hæc quidem ſtante Reipubl. & vigente imperio ita floruit, vt non Romæ ſolum, ſed in tota Italia Latine omnes vulgo ita loquerentur, vt eos ſono vocis fortaſſe, verbis quidem certe vix internoſceres: itaque, cum Græcorũ exẽplo Romani homines orationi ſuæ locupletandæ, atque excolendæ animum adieciſſent, incredibile eſt, quam breui, quantam illi vbertatem, quantum nitoris attulerunt, quam bonos oratores, nobiles Poëtas, egregios rerum geſtarum ſcriptores nobis imitãdos reliquerint. Poſtea, Romano iam labente imperio, atque oppreſſa ſæpius impetu barbarorum Italia, Latino ſermoni vulgaris hic noſter ſucceſſit: qui corruptus pronunciatione, atque admiſtis fortaſſe aliquorum barbarorum vocibus, totus primum aut magna ex parte latinus fuit: deinde, vt ab vetere tot ſeculorum vſus magis, magiſque receſſit, ſic paulatim propriæ vetuſtatis & gratiæ plus adeptus, inops tamen verborũ ita creuit, vt quantum Romani homines à Græcis, tantum nos, ac multo etiam magis à veteribus Latinis, diuitiis orationis, & verborum non copia ſolum, verum etiam ſplendore vincamur, Tum vero cum noſtri etiam orationis ſuæ apparandæ, ac quaſi faciendæ non mediocri ſtudio flagrare cœpiſſent, huic linguæ ornatum illum omnem, & eam auctoritatem, qua nunc quidem eſt prædita, pepererunt. Nam & ipſi ſcripta aliquot reliquerunt, quæ tum ingenij, tum doctrinæ elegantiam non exiguam præ ſe ferant, & poſſint etiam (ſuum

enim cuique libenter tribuo) eum aliquot ex veteribus, vel eruditionis, vel acuminis gloria comparari, Ac nescio, an vnquam alias vehementius hoc studium quam hac ætate, cultum, & celebratum sit, sed ita, multos in eo videas elaborare, non vt, quemadmodũ priores illi, quorum nunc etiam ingenium, & industriam admiramur, ex Latinæ linguæ copiis, ad hanc ditandam aliquid assumant, sed illa contempta, nullam aliunde, quam à seipsis petendam opem existiment. Quorum quam irridendum, explorandumque consilium sit facile vnicuiq; liceat intueri, quo modo, quibus illi rationibus in hanc sententiam adduci possint, cognouerit: quid enim? vtilitate ne huius linguæ trahimur, aut dignitate? his enim potissimum rebus omnes actiones nostras metimur atque dirigimus. Quis est autem tam ignarus rerum, qui se fructus vberiores ex huius orationis studio, quam ex illius percipere posse confidat? Etenim quam multa sunt Latinis consignata litteris, quæ non sunt nostris? aut quæ nostris his prodita sunt: quæ non eadem multo meliora sint Latinis? poëtas habemus in aliquod non elegantes, annalium scriptores fortasse tolerabilis, fateor: at oratores philosophos, & reliquarum artium magistros pene nullos. Ergo qui huius vnius linguæ studio delectabitur, carebit cognitione oratorum, carebit philosophorum, carebit historicorum, carebit omnium ferme rerum: quibus humanæ vitæ ratio continetur: nec illa solum incommoda subibit, in qua qui quondã apud Romanos, Græcis neglectis literis, totos se Latinis abdiderunt, inciderunt, sed eo etiam grauiora, atque maiora, quo maiora ad viuendum, & intelligen-

gendum ex his, quam ex illis, ſuppeditari nobis adiumenta poſſunt. Quamquam quis vnquã Romanus tam Græcas deſpexit litteras, quam hi noſtri Latinas? remp. illi quidem litteris: rem militarem forenſi, actionem eruditioni, bellum paci præferebant, at, ſi ad regendam ciuitatem doctrina dirigẽda, ſi ad rempub. tractandam præcepta diſciplinæ paranda eſſent, ex Græcorum ea fontibus è quibus emanaſſent, ſine dubio haurienda eſſe profitebantur. Itaq; poſtquam Romæ ab externis bellis quies eſſe cœpit, nec inteſtinis reſp. ſeditionibus laborauit, Gręcorum artes coli ab omnibus, & non negligi ſtudia litterarum cœpta ſunt, adeo vt M. ille Cato, ille inquam, qui Græcas ab ineunte ætate litteras perpetuo exagitauerat, atque oderat, eaſdem ſenex laudauerit, etiam ſtudioſeq; didicerint quid fecerint deinde cæteri, cum exempla in medio ſint pene innumerabilia, dictu ſuperuacaneum puto diſcebant enim tum vulgo homines Græcas literas ita fere vt nos nunc Latinas, quod, quantum cum ad dicendum, tum ad agendum valerent, non ignorarent, quid nunc noſtri tantum vel ingenio, vel fortunæ tribuunt ſuæ, vt, antiquiores omnes artes, tanquam peregrinas, & nihil ad ſe pertinentes, contemnant? immo vero pro nihilo habendas putent? quaſi vero ſi otium adhæc alenda ſtudia poſtulandum ſit, non tanta pax huic ciuitati adſit, quanta; dijs immortalibus optari poſſit tanta quies, quanta ne fortaſſe quidem vnquam in libera, opibuſq; firma ciuitate extiterit. Sed videte quæſo, quid inter nos & ſapientiſſimos illos, veteres Græcos interſit: ac quantum huius ſæculi mores à priſca illa induſtria, & probitate defecerint. Illi, cũ in ea terra orti eſſent, quæ

bonas omnes artes procreasset, aluisset, ornasset: tamen, vt occultiora quædam scientiæ sibi ignota mysteria discerent: alienas etiam linguas, & nihil ad se attinentes, sibi cognoscendas putarunt: nos Latinam linguam, huius nostræ non parentem solum, sed nutricem etiam, dij immortales, atque magistram ingrati auersamur, & fugimus: illi vias omnes scientiæ, quas potuerunt, indagarunt, atque, inuentas nobis accurate demonstrarunt: nos, omni ad cognitionem aditu obstructo, quæcunque possumus desidiæ, atque inertię patrocinia comparamus. Sed contemnamus Græcos, irrideamus Romanos: illorum auctoritatem cum libertate euanuisse, horum grauitatē cum imperio obsoluisse dicamus: quid? patrum, maiorumque vestrorum institutum eorum, qui hæc ex minimis tanta facerent, num cui tandem pro nihilo habendum videtur? illi vero cū vniuersis prope terrarum gentibus nobilissimam bonarum omnium artium, & linguarum quasi officinam in suo imperio aperuissent, nullos certe huius recentioris linguæ doctores accersierunt, cum aliorū omniū magistros non minimis etiam præmiis quam plurimos aduocarent, cur ita? quia grauissimos viros, atq; omnium sine dubio prudentissimos non fugiebat, frustra in ea re quæ nullum ad vitam instituendam momentū haberet, operam collocari. Vulgaria autē hæc quæ nos tanti facimus, monumenta eiusmodi esse illi iudicabant, vt aut ad deprauandas potius, quam conformandas iuuenum mentes valerent, aut certe, si quid oportunitatis afferrent, facile ab omnibus percipi, vel mediocri studio possent. Hic est igitur fructꝰ vnus vber rimus, posse, quæ plurima Latinis literis præcepta di-

ſciplinæ traduntur, cognoſcere, ad vitam, ad mores, ad remp. ad familiam, ad Dei, & natura cognitionem, ad omnem denique humanitatem pertinentia, quæ vulgaribus his noſtris vel nulla continentur, vel certe cum Latinis nullo pacto conferendæ. Sequitur alter ille; qui non intelligendo, ſed in ſcribendo poſitus eſt. nam qui ſuam ad Latine ſcribendum induſtriam conferunt, ijs ea lingua ſenſus expromunt ſuos, quæ cum & bonorum verborum abundantia præſtet, & pluribus nationibus nota ſit, maiora etiam hominum generi afferre adiumenta poteſt. Nam noſtra quidem lingua, ſi vere iudicandum eſt, multis in locis hæret, & nimia quadam ſæpe paupertate verborum laborat, contra latinæ hæſitantiam fere nullam, immo luxorioſam & redundantem ſupellectilem, ſi cum hac conferatur animaduertas. Atque hæc etiam Italiæ tantum exiguis ſane finibus terminatur, illa in omnibus prope gentibus intelligitur, quod quanti faciendum ſit, declarant apud Romanos, qui quondam res Romanas Græcis literis, vt pluribus eſſent cognitæ hominibus tradiderũt egregie, eſt enim inſita naturalis quædam in hominibus gloriæ cupiditas ac ſitis, ne in ſapiente quidem, vt ego arbitror reprehendenda; cuius gratia quam multos dij immortales & quam graues labores in omni difficillimarum artiũ genere ſuſtinemus; vt nomẽ noſtrum, quod per ſe obſcurum eſſe, honeſta multorũ prædicatione illuſtretur, quæque laudes noſtræ, quantæque fuerint, pateat quam plurimis. Neque vero nos ſolum, qui ſcribẽdi ſtudio detinemur, noſtra ad omnes peruenire ingenij monumenta cupimus, ſed etiam ij: quorum à nobis facta memoria litterarum produn-

tur, quę ipsi sapienter, fortiter, clementerque fecerunt: longinquas ad regiones & si fieri possit, in vltimas terras transportari; & ab omnibus cognosci volunt; quod quidem in leuioribus etiam studiis accidit, vt nemo vehementius illi arti studere velit, quæ patriis contenta finibus incolas tantum vtilitate afficiat: sed quæ cum artificis laude ad alienos translata, omnibus esse gentibus admirationi, adiumentoque possit. Ergo illi quorum virtus, quia consecrata litteris à nobis est: in æternum permanebit, omnium gentium prædicationem, laudemque desiderant; nos, qui eorum facta scriptis in perpetuum propagamus, hac exigua Italorum hominum voce contenti, nobilia Gallorum, Hispanorũ, Germanorumque, quibus linguæ nostræ ratio obscura est, præconia respuemus? manum hi & corporis fragilia opera omnibus nationibus patere cupiunt, nec præclara hæc animi, atque ingenij monumenta nostris tantum hominibus nota esse patiemur? videte, ne vt illis magnum honestatis incitamentum est, hoc sperare, sic nobis idem non optare flagitium sit. Neque enim audiendæ sunt quorundam hominum voces, qui se Romanorum persequi vestigia dicunt, qui Græcis literis ideo studuerunt, vt inde præcepta scientiæ elicerent, Latinis vero, vt quæ à Græcis accepissent, memoriæ ac posteritati mandarent; cur autem non audiendæ? quia non horum temporum eâdem, quæ illorum, ratio est. Romani enim cum longe lateq; dominarentur, ea spe duci ad scribendum Latine poterant, fore aliquando, vt, propter imperij amplitudinem, ac reip. maiestatem, ab omnibus iis, quos in fide plurimos haberent, scripta sua cognoscerentur, atquę vt antea

extra

extra Italiam arma, ſic etiam orationem efferent, eamq; trans alpes atque trans maria in omnes omnium ſociorum prouincias, id eſt, ad ſola terrarum vltima deferrent, Italis autem hoc tempore, tantum abeſt: vt ſpes vlla eiuſmodi ſit oblata, vt illud potius extimeſcendum ſit ne, cum magna pars Italiæ ab exteris gentibus teneatur, & quotidie noui alienigenarum in hanc regionem impetus timeantur, noſtra hæc demũ loquendi formula vel funditus deleatur, vel certe, peregrinis acceptis vocibus, aliqua ex parte corrumpatur; id quod quam facile poſſit euenire, niſi hæc reſpub. in qua vno hoc tempore expreſſa antiquæ maieſtatis imago cernitur ipſam vna cum Italiæ libertate pro ſua conſuetudine tueatur, nemo non intelligit: peperit enim eloquentiam libertas, aluit, cuſtodiuit quam eandem ſeruitus extinxit, conſumpſit, ac diſſipauit. Teſtes ſunt Græciæ ciuitates, teſtis eſt ipſa Roma, in quibus dicendi ſtudium, quod cum libertate floruerat, cum ſeruitute exaruit. Quid ergo? dicet aliquis: an hæc lingua, relinquenda, quæ noſtra eſt, quam non ex libris accepimus, ſed á natura arripuimus, non à magiſtro didicimus. ſed à nutrice hauſimus, non in ſcolis percepimus, ſed in cunis cum lacte ebibimus: illa ſola retinenda, quæ aliena eſt, quæ ſexcentis è chartis, & commentariis, & præceptionibus petenda eſt? Non ego id ſtatuo, neque vero id pugno, vt hanc linguam radicitus ex communi vſu euellam: præſertim vero qui & ipſe nonnihil in hoc genere aliquando ſtudij poſuerim, atque aliis multis, vt idem facerent, auctor fuerim, verum illud contendo, ne Latinam linguam, quam tot ſecula fouerunt, nos de ſinu eijciamus, hanc vero vnam vulga-

vulgarem tanquam filiolam in deliciis habentes ornandam, & colendam perpetuo quodam studio iudicemus detur vtrique, quod vtriq; debetur. Placet sermonem nostrum ab inopia vindicari, recte placet. non enim ego voluntatem reprehendo, sed iudiciũ in voluntate desidero. Confugiat hæc lingua recentior ad illam veterem, quasi parentem suam. Vult locupletari, inde opes accipiat, sapere; inde prudentiam hauriat, exornari inde pigmenta colligat, & artem discat illustrandi denique si fructum quærit, pręstantiores ab ea fructus quam à se ipsa exspectat. Neq; enim hoc tempore adeo Latinæ linguæ studiũ intermissum est vt penitus interciderit, immo retinetur, & celebratur adhuc à multis: quiq; in scribendo aliqua cum ingenij laude versantur, non solum non vulgo despiciuntur, sed præmiis quoq; non mediocribus inuitantur. Neq; vero, dum hic rerũ status extiterit, dum hic mos, atq; hæc consuetudo permanserit, desperandum est, quin ampliora semper illis, quam his, sint præmia constituta, vt ingeniosa & solerti adolescenti aut vtraq; studiorum via sit ineunda, quod & fieri potest, & me non improbante fiet: aut, si alterutra, eam ingredi certe præstantius sit, quæ sibi, & cæteris plus dignitatis allatura videatur. Nam quod rei difficultatem prætendunt quidam, primum miror, difficile videri quidquam posse, quod cum alij hac ætate, tum in hac potissimum ciuitate multi fecerunt, vt in vtroq; scribendi genere ita excellerent, vt in altero cum veteribus iam facile compararentur, in altero etiam contendere viderētur; deinde, si difficile est, quod concedi tamen potest, non ad hominũ ingenia retardanda, sed ad eadē incitanda valere debet ista difficultas: cum

illud

illud ſatis conſtet, vt quidq; non facillimũ eſt. ſic idem, quia rariſſimum ſit, maxima æſtimatione digniſſimum eſſe, atq; omnino eximiam laudem paucis ſemper in omni ſtudij genere patuiſſe qui autem in vtraq; ſcribendi ratione elaborarit, aut parem, meo iudicio, propoſitam habet apud homines nominis, & gloriæ cõmendationẽ. Nam qui Latine ſcripſerit, ſi ad laudem antiquorum non dico, peruenerit; ſed vſq; eo acceſſerit, vt longiſſime non diſtet: is, quia cum paucis id fecerit, ſatis magnum ex labore ſuo fructum ad memoriam immortalitatis adeptus erit; qui autem in patrio ſermone ſe exercuerit, idem, quia nemo eſt, qui, quæ velit, patria oratione non exprimat: ac ſi mediocre ſtudium afferat, facile non recte ſolũ, ſed etiã ornate dicendi facultatem conſequi poſſit, quæ propria maximeque ſolida laus eſſet, eam cum multis aliis communicatam extenuabit, ac tanquam in fruſtra concidet. Neque enim, ſi dignitatis demũ vtriuſq; linguæ ſit contentio facienda, quem quam tam aut alienæ gloriæ inuidum, aut ſtudioſum ſuæ futurum arbitror, qui non illam huic longe amplitudine, & grauitate anteponant, præſertim cum idem intelligat, illam per multa ſæcula imperaſſe hanc fere iam per plurima paruiſſe, illã leges ac iura bellicoſiſſimo, ac potentiſſimo populo Romano, atque omnibus fere terrarum gentibus dediſſe, hanc nihil dum, niſi quotidiana quædam colloquendi, & contrahendi vocabula inueniſſe: vt hæc quidem deſpicienda minime ſit, quia noſtræ, quæcunque conditionis eſt ſocia, illa vero quia tanti parens imperij fuerit etiam venerandæ videatur, Tenete igitur antiquam Latinæ linguæ poſſeſſionem nobiliſſimi adoleſcentes, atq; in hoc ſtu-

ſtudium toto pectore, vt inſtituiſtis, incũbite: ne ad exteros, vt iam imperij, ſic linguæ Romanorũ gloria trãsferatur. Neq; enim vlla alia vel priſtinæ libertatis, vel antiqui decoris, vel veteris dignitatis Italiæ, extant veſtigia, quã honeſtiſſimum eius linguæ, qua quondã vniuerſo terrarum orbi iura præſcripta ſunt, matrimoniũ, quod ipſum nõ diligenter cuſtodire, inertiæ culpa, cuſtoditum diſſipare, profligatæ cuiuſdam ſocordiæ vitiũ eſſet. Hoc cũ omnib. Italiæ populis merito faciendũ eſt, tum maxime huic ciuitati, cuius vnius opes Italia dubiis in rebus intuetur & patere ſibi quaſi portum in aduerſa tempeſtate tutiſſimum exiſtimat. Res autem in eum adducta locum eſt, vt qui Latinæ linguæ ſtudium retinuerit, is vniuerſum nomen Latinum, quod iam nimis anguſto ſpatio contractum eſt, atq; antiquam eius imperij gloriã conſeruaſſe, proptereaq; ſummis literarum præconiis exornandus eſſe videatur. Hoc tempore præclara vrbs Roma, atq; aurea quondam illa Roſtra, qui fuit ornatiſſimus olim oſtentandæ eloquentiæ locus, ſe huic ciuitati commendant, ac tradunt; veſtrum eſt efficere, vt quemadmodum vrbs ipſa, grauiſſimis ſæpe bellis oppreſſa, ſalutis opẽ à maioribus veſtris implorauit, ſic eadem linguæ ſuæ, quæ amiſit, ornamenta, veſtra diligentia curaq; recuperaret, quam quidem ad rem etſi meæ quam tenues, quam infirmæ ſint opes, intelligo: tamen pro perpetua mea, & conſtanti erga vos fide, ac beneuolentia, quidquid in hoc munere pręſtare poſſum, libenter id polliceor totũ, ac defero: Me vobis & mea voluntas, & vero etiam beneficia veſtra ita obſtrinxerunt, vt, qui velit, eodem me in hoc ſtudij genere, vel duce, vel ſocio facile vti pro arbitrio poſſit.

CARO-

CAROLI SIGONII DE LAVDIBVS HISTORIÆ.

ORATIO VI.

Habita Venetiis Anno M. D. L IV.

CVM ALIÆ RES, Auditores, maiorum vestrorum singularem sapientiam declarant, tum hoc inprimis, quod hæc vobis præclara litterarum studia quotannis intermittenda censuerunt: nimirum intelligebant prudentissimi viri, vel corporis vel animi vires, vt perpetua contentione debilitari, ac frangi: sic concessa quiete refici vehementer, & confirmari, quod cum ita esse & multorum exemplo sæpe cognouerim, & in me ipso aliquando senserim: gauderem equidem vestra causa, quorum studiis mirifice faueo, atque etiam, quoad possum, consulo: si modo, quātum ad ingenia vestra, tantundem accessisse ad voluntatem existimare, sed quoniam, vt sæpe voluntas ab ingenio, sic ingenium à voluntate destituitur, coniuncta vero aditum ad æternam gloriam patefaciunt: propterea, quod à me vel ea persona, quam suscepi, vel ætas vestra postulare videtur, id faciam, vt cum humanarum artium, quas colitis, aliqua laude grauissimam cohortationem ad vos excitandos, & ad hæc honestissima subsellia celebranda coniungā. Quamquam me peruersa imperiorum quorundam hominū consuetudo valde perturbat, quos ad optima quæque nullo discrimine vituperanda paratos, vbi nos de vobis ad literas; id est, ad summum decus, incitandis verba

esse

esse facturos exaudiunt, animaduertere facile possis, vniuersam hanc nostram industriam continuo fastidire, atque omnia potius quam id de quo agimus, approbare. Quibus quidẽ quoniam à me satisfieri omnib. nec posse video, neque necesse admodũ esse intelligo; quo me instituti, atque officij mei ratio trahit, eo me dabo, scilicet, vt in hoc munere gerendo, nõ ad aliorũ opinionem neque ad meam ambitionem, sed ad vestram vtilitatem omnia referã, neq; ab alijs literis, quas me hoc loco, atque in hoc ornatissimo iuuentutis consessu profiteri senatus voluit, vel tuendis, vel ornandis vlla ratione discedam, id quod cum faciam, iure quodã meo me facere arbitrabor. Etenim, si cuique artifici, excitandæ opinionis caussa, præclara quædã licet de suo artificio profiteri: quãto id nobis concedi iustius est à quibus etiam ars ipsa expectationis commouẽdæ, & quasi audientiæ faciendę petenda est? Quamobrem cum hoc studium in tres potissimum partes, veterum omnium consensione, distributum sit, quorum vna oratorum, altera poëtarum, tertia historicorum explicationem continet, cumq; superiores à me hoc quinquennio tractatæ satis, ac perpurgatæ videntur: tertiam hoc anno, quam nondum attigi, ad eas adiungendam, eiusque studij prudentiam, vt vestras aliqua cupiditate mentes incenderem, ostendendam putaui. Magnũ profecto illud est qnod profiteor, Auditores, ac nescio an dicam maximũ, tantæ artis, quanta est veterũ temporum, antiquitatisque cognitio, magnitudinem verbis cõsequi, atque oratione complecti: quæ ne animo quidem satis ac mẽte cõprehendi vniuersa vidẽtur posse. Hæc enim cum suis per se instrumentis, ac sua suppellectili instru-

ctissima, atq; amplissima est, tum vero reliquis disciplinis omnibus tanta adiumenta, atque ornamenta suppeditat, vt qui huius notitiæ sit expers, alij plane nihil scire, nihil ex ijs, quæ aut ad vitæ vsum, aut ad humanitatis cultum attinent intelligere videatur. Itaq; Ægyptius ille sacerdos apud Platonē Græcos carpit, eosque quod nulla vetustatis cognitione, nullæ antiquorum temporum notitia, nullę deniq; quasi senili & cana scientia eorum animi essent imbuti, semper pueros appellat, recte & sapienter. Vt enim pueros videmus ob iudicij, ac mentis imbecillitatem hominem ab homine, rem à re distinguere non posse; sic ille eos, qui nullam gestarum rerum, nullam præteritorū sæculorum animo cōprehensam notionem tenerent, iure viros negabat esse, quos præstare pueris intelligentia deceret. Quod si cōmodi putantur in ciuitate grammatici, quod eorum assidua cura antiquarum nobis linguarum ratio patefiat: si fructuosi poëtæ, quod liberali quadam cum animi voluptate pulcherrimis ipsorū versib. præcepta cōmunis vitæ vtilissima nostris quasi auribus instillentur: si oratores in ore sunt omnium, quod eorum ingenio multæ reipublicæ partes constituantur: si publici consilij auctores suscipiuntur, quod eorum incredibili sapientia vniuersa respubl. fulciatur: si denique Philosophi diuinis prope laudibus efferuntur, quod sanctissimis illorum præceptis vita nostra ad omnem felicitatem tū priuatim, tum publice conformetur quantum antiquitatis notitiæ tribuendum putemus, à qua grammatici, poëtæ, oratores, senatores, ipsi deniq; philosophi pariter adiuuantur; Non vereor, Auditores, ne cupidius,

quam

quam verius dixisse vobis videar, cũ ex vetustate cognõ scẽda tãtos nobis suppetere fruct⁹ exposui:sed, si recte, ac diligenter omnia,quæ in hac re sunt attendenda,cõsiderabitis,non dubito,quin sententiæ meæ vestra facile voluntas acquiescet.Etenim,si omnem nostram sciẽtiam,tum demum vere scientiã esse dicimus, cum causas in vniuersum.cur aliquid ita sit, videmur posse reddere;vniuersa autem omnia non nisi singulis reb. ante perceptis,ac diuturno studio collectis continẽtur: quis scientiam hanc sine veterum notatione temporum ac sine priscorum obseruatione hominum, aut sibi, aut alis videbitur esse adeptus; Nisi vero artem vnam vnius hominis vel ætate, vel quamlibet accurata industria perfici,explerique posse existimamus:cum ea rerum omnium natura sit vt paruis ortæ principiis, paulatim perpetuis hominum studijs & ingenijs auctæ ad suam quasi maturitatem denique perueniant. Quamobrem quis non merito illam omnibus artibus anteponet, cuius adiumento excitatæ reliquæ floruerunt? Age enim, quod grammatica profitetur, nimirum vt verborum vim significationem,vsumque doceat,vt, quid à translato proprium differat,ostendat; Atqui, cum maximã partem earum vocum,antiqua morum, atque institutorum consuetudine contineri constet,vtpote,cum singulæ fere aut in senatu, aut in comitijs, aut in foro, aut in castris natæ sint: qui poterit grammaticus rectum earum vsum consequi, nisi historicus fontem ipsum, vnde illæ fluxerint indicauerit, atque instituti originem ac moris initium patefecerit? Habet enim vnaquæque ratio propria vocabula, vt auguralis: vt imperatoria:vt forensis:vt senatoria, qua neque præter eos ipsos

ipsos qui illas tractabant, quisquam olim tenebat: &, si quis nosse vellet, ad eosdem adire cogebatur. Quin etiam, vt quotidie in Ciuitate iura, lege, magistratusque nouos constituti cernimus: sic nomina etiam multa nouari quibus rerum illarum vis exprimatur, existimare debemus, ad quæ imponenda vt non verborũ explanatores, sed ipsi ciuitatis principes adhibentur: sic earum explicatio non à vocum sed à rerum gestarum interpretib. requirenda. Cuius rei maximum illud habemus argumentum, quod, quam diu priscarũ linguarum ratio à grammaticis duntaxat patebatur, tam diu à nobis ignorata, vbi veterum annaliũ lumen accessit tum illustrari cœpta, tum nobis omnia patuerũt. Quid dicam de arte ipsa poëtarum? nonne tota fictis fabulis veritatem historiæ tamen imitatur? Nam primum quidem pars ea, quam qui tractant, epici nominãtur, nihil aliud esse, quam quidem historiæ contextus videtur: proponit enim pariter & historicus: & poëta pariter narrat; mores, ac perturbationes hominum exprimit: prælia cladesque ante oculos ponit, adeo vt multi fallaci quadam ratione decepti, summorum imperatorum bellica facta versibus heroicis persecuti, poëtarũ se nomine dignos existimarint. Mitto argumenta, quæ ab illustri actione aliqua, id est, ab historia sumpta esse, negari vix aut ne vix quidem potest. Quid? egressiones suas ijdem illi explere, aut, ornare qui possent, nisi ex ipsa vetustate vel eas actiones deriuassent, vel earũ certe similimas confinxissent? Quanquã quid dico egressiones? fabulam ipsam suam tragici poëtæ, vnde nisi ex variis excellentium virorum casibus, quos historiæ narrant: cõstituere didicerunt? Habet enim hoc propositum, hoc

inprimis poëta spectat, vt delectatione animos hominũ afficiat. Ad delectandum autẽ, quæ valent maxime; nimirum temporum mutationes: fortunæ vicissitudines: inconstantes rerum euentus. Quod sit: quæ finguntur: insperatum in comœdia gaudium: nec opinata in tragœdia tristitia vehementer animos hominum retinent qua voluptate perfundimur, cũ ancipites veræ contentionis exitus legendo cognoscimus: & quos sæpe spoliantes: atq; exultantes vidimus: eosdem repente omnibus vno prelio fortunis euersos intuemur, iam oratoria laus quam non facile sine rerum, antiquitatisq; cognitione consistat, declarant prisci illi artifices dicendi, ac doctores eximij, qui bonum oratorem sle negant posse, qui non eiusmodi ciuitatis, in qua versetur, sed vniuersæ antiquitatis, instituta cognouerit. Cuius præcepti ratio difficilis ad explicandum valde non est. Nam cum oratorum sit, vt id quod fieri cupiunt, ex eo, quod aliquando factum est confirment, exempla colligere, credo, quod imperitæ multitudini, cuius illi potissimũ auribus, & iudicio seruiunt, nihil exemplis, quæ facilime intelligantur, possit esse iucundius: hoc certe non assequentur nisi superiora tempora, vnde vbertas illa vel ad oblectandum, vel ad probandum haurietur perfecte calluerint. An vero, qui alterum in iudicio publico defendere voluerit, attingere caussam illam poterit, nisi antiquiora iudicia vel similia, vt vtatur, vel contraria, vt aliquid declinet, egregie nouerit, nisi grauiora, etiamsi ita res postulauerit, euenta proposuerit, nisi priuatam caussam cum publica, proprium periculum cum communi coniunxerit? Aut ad laudandum accedet quisquam, qui populi eius, quem ornandum

dum susceperit, res domi, forisque gestas, vnde summa laudationis elicietur, ignorabit, aut qui non multo ante exterarum gentium maxime illustres actiones, vnde sæpe, quæ in laude plurimum dominatur, comparatio sumitur, mente, atque animo perlustrauerit? Nisi forte Atheniensium ciuitatem se ornare aliquis posse existimat, qui res cum Dario, & Xerse acerrime gestas, qui Marathonem, & calamina, clarissima insignis eorum victoriæ monumenta, qui Miltiadem, Themistoclem, fortissimos, ac sapientissimos illorum imperatores, contempserit. Quod si quisquam hoc, nulla tinctus antiquitate fortasse præstabit, ac consilium certe de futuris rebus, quæ ex præteritarum similitudine gubernantur, dare, nullum poterit, immo vero & suam, & alienam remp. notam habeat, bella, paces, fœdera, leges, mores, iura teneat, atque omnes rerum superiorum euentus, vnde futuram imaginem colligat necesse est. Verum hos tandem in ciuitate grammaticos contemnamus: irrideamus poëtas: pro nihilo habeamus oratores, vt cum eorum artibus etiam studium omne antiquitatis inane prorsus esse concludamus: num ita iniusti, ita dementes erimus vt moralem ipsam, ciuilemque scientiam, minimæ frugis, exiguæ laudis esse contendamus. Atqui nihil est aliud historia, nisi virtutum, vitiorumque quod argumentum moralis scientia complectitur, diligens, & perspicua demonstratio. An vero fortitudo grauius laudari, tēperantia celebrari, iustitia extolli, atque his contraria deprimi vehementius à philosopho, quam ab historico possunt, aut quisquam cum ad fortitudinem, moderationem, iustitiam hortabitur, Socratica potius ratione: quam

clarissimis Deciorum, Fabij & Camilli documentis vetetur non existimo. Etenim philosophi, quid agere homines debeant, historici, quid præclare egerint, docēt: itaque, nisi nobilia philosophorum præcepta egregia historicorum oratio comprobaret inanes illæ chartæ, ridiculæ, sententiæ commentitiæ, futilisque doctrina videretur. Intelligunt enim homines, aliud esse, agere de virtute, aliud agere cum virtute: illud prope cuiusuis hominis esse, hoc non, nisi natura & habitu prope diuino ad virtutis exercitationem exculti. Fidem illi, & religionem sanctissime seruandam, proque ijs dolores & cruciatus omnes corporis perpetiendos esse præcipiunt quotusquisq; nostrũ est, qui hac præsertim imbecillitate naturæ illis assentiretur nisi quendam fuisse quon[illegible]m hominem incredibili animi robore præditum [illegible]episset, qui se ab hostibus per exquisita supplicia [illegible]ruciatum necari, quam datam fidem frangere, ma[illegible]sset? Abstinentiam illi in extrema etiam paupert[illegible] colendam esse magnopere prædicant: & hanc [illegible]edo orationem nos his moribus probaremus, nisi homines olim extitisse in summis etiam rei familiaris angustijs constitutos audijssemus, qui non magnifica solum clientium suorum munera, quæ dabantur, sed regnorum etiam partem constanti animo respuissent. Non persequar hoc loco singula, quæ in hoc genere colligi possunt innumerabilia. hoc tantũ dicã, magnas à nobis gratias rerum gestarum scriptoribus esse habendas qui suo studio effecerunt, vt rebus præteritis cognoscendis, facilius, quid nobis in vita expetendum quid declinandum esset, expediremus. Prudentes multos fuisse homines legimus, &, admirabili prope qua-

dam

dam in agendis rebus ſapientia præditos, quam non natura, ſed vſum rerum multarum non ſine magnis vitæ periculis ſibi, vt de Vlyſſe traditum eſt, compararunt. at nobis hiſtorici hoc afferunt commodi, vt aduerſis aliorum caſibus edocti, ab omnibus quibus illi perculſi ſunt, tuti fortunæ telis, cautius ac ſapientius actiones noſtras dirigamus. Matura ſeniorum conſilia iuuenes admirantur: cur népe, quia eos longa ætas ac diuturna vita cautiores, & prudétiores effecit, at eo pluris æſtimanda hiſtoria eſt quo plura in omni genere exempla diuturnitas temporis, quam exigua vnius hominis ætas colligit. Præclara philoſophorum decreta ſtupedo prope animo imperita multitudo perſequitur, quamobrem quod illorum præcepta ad exercenda virtutem noſtros animos erudiunt, quanto hoc excellentius hiſtorici præſtant, quorum in libris non animi ſolum ſed corporis etiã expreſſas actiones intuemur. Quod enim hiſtoriarum lectio virum bonum informare poteſt, ergo non eadé poterit præclarum etiam ciuem ac ſenatorem inſtruere? Etenim quis eſt, qui ſuam egregrie capeſſere Remp. poſſit, cum genus ipſius Reipub. cum cauſas ſalutis, atque interitus eius ignoret aut quis eſt qui optime ciuitati ſuæ poſſit conſulere, ſi neq; maiorũ leges, neq; mores, aut inſtituta percalleat, quis denique vtilem, ac ſalutarem de pace, aut bello ſententiam dixerit, niſi ſuæ Ciuitatis opus, niſi vectigalia, niſi pedeſtrem, naualumque apparatum, niſi bellicas ſociorum, atque hoſtium facultates ante cognouerit? Quid porro aliud continent ſcripti à Philoſophis de Reipubl. libri, niſi multa eſſe rerum publicarum genera, atque inter ſe facile commiſceri cauſas eſſe quaſdam, qui-

bus illæ conseruentur, hæ peruertantur, consilia vero alia ad libertatis, alia ad tyrannidis diuturnitatem accommodata. Quæ si ita sunt, ea certe non ex arcana magis ista Philosophorum sententia, quam ex aperta diuersarum obseruatione rerum publicarum, vnde fere illa etiam admirabilia Philosophorum præcepta sumpta sunt, eruere poterit, qui vetera annalium monumenta animo perlustrauerit. Age vero, Senator, nisi cognitis maiorum suorum rebus, nisi notatis superiorum bellorum euentibus, consilium patriæ fructuosum afferre nullum potest: nũ imperator, antiquitatis ignar⁹, Rempub. recte administrare in militia potest? multo minus. At vero melius instrui posse libris qui militarẽ scientiam titulo polliceantur, quam historijs, belli gerendi ducem existimamus ne hoc quidem. Quid est enim, quod ad faciendas insidias aut euitandas pertineat, quid quod exploranda hostium consilia, quod ad ducendum exercitum, ordinandam aciem, ad compescendam seditionem, ad dissoluendum metum, ad omnem denique rei bellicæ rationem cuius non plurima, eaq; nobilissima veteres annalium scriptores nobis exempla reliquerint. Quæritis terrestres oppugnationes, aut nauales; quæritis pedestres acies, aut equestres? Imperatorum fortitudinem, aut militum, incredibilem exercitus in rebus aduersis constantiam, in prosperis moderationem? harum illi rerum omnium partim ad cauendum, partim ad imitandum insignia documenta suppeditante. Quamobrem, qui philosophiæ præstantiam admirantur, sapienter illi me hercule faciunt, est enim ratio & scientia vna quæ vim felicitatis ostendit, quæ causas rerum aperit, quæ virtutis pulchri-

pulchritudinem, vitij deformitatem patefaciat. Quid autem aliud agit historia? profecto nihil, nisi quod illa vniuersa persequitur, hæc singularia, quam viam ipsi etiam philosophi multo intelligentiæ nostræ planiorem, aptioremque esse consentiunt, vt à singulis potius ad vniuersa ascendamus, quam quod illi factitarunt, ab vniuersis ad singula dilabimur. Est ergo, vt proposui antiquitatis cognitio vtilissima, quippe qua philosophos aliquando instruat, minores omnes artes adornet, iuuenes prudentia cum senioribus æquet, seniores eorum quos experti sunt, casuum comprobatione confirmet, senatorem ad Rempub. Imperatorem ad rem bellicam complectendam impellat, & quod caput est, omnes homines ad virtutem colendam incredibili quodam gloriæ studio atq; eximio immortalitatis amore accendat. Si quidem historia vt turpiter factorum: iudex est sic earum rerum quæ cum virtute actæ sint, testis eadem sempiterna. Itaque, quam multos fuisse putatis, qui, illustri hoc litterarum, atque ingeniorum præconio concitati, ciuitates, constituerint, leges scripserint, nouas artes excogitarint, morti denique fortissimo animo sese obiecerint? Nisi forte ea quæ de inferis ab antiquis Poëtis fabulose tradita sunt, multum ad iniustitiam & pietatem putatis valuisse: historiam ipsam, veritatis lucem, ac prope totius philosophiæ parentem ad virtutem amplectendam famamque nominis nostri propagandam momentum nullum allaturam existimatis: cum Herculem cæterosque, quorum virtus, & labor hominum generi beneficia peperit eximia nihil aliud, quam æternæ annalium monumenta ab interitu vindicasse perspicuum sit. Etenim

nim cætera omnia vel vi extingui, vel vetustate consumi possunt, historia vna per vniuersum terrarum orbẽ dissipata perpetuum sui custodem æternitatem est con secuta. Quamobrem si fragilem statuam fabrili manu factam, quæ corporis effigiem repræsentem, sibi quisq; poni cupit, quanto magis actiones insignes excellẽtis scriptoris ingenio commendari debemus optare, quæ vix vlla posterorum hominum obliuio obscurare, vlla viuentium seculorum delere diuturnitas possit. Hoc igitur tantum ac tam præclarum studium hoc anno cum dicendi studio coniungemus rati scilicet multo vehementius nos, si historiam, quam si poema aliquod explicaremus, Reipub. profuturos. At quam historiam, & quarum gentium dicet aliquis, quam? nisi Romanam, ac Romanorum, Etenim, si vtilitatem quærimus, hæc Respubl. vt cæteris, armorum gloria, atque imperij amplitudine, quibus vniuersum fere terrarum orbem complexa est, deuicit, sic ijsdem omni genere exemplorum, quæ quisque se cuius, egregie cum sibi, tum Reipublicæ consultat, antecelluit. Cuius si prima præcipue tempora spectes eam prope non ab hominibus, sed ab herbib. quibusdã esse adinuentã vel adornatã existimes, tantũ iustitiæ ac moderationis amore, tantũ paupertatis, ac parsimoniæ cultũ, tantũ luxuriæ, & auaritiæ odium, tantum diuitiarum atque opulentiæ contemptum possis animaduertere. Itaque, si exempla virtutis quærimus, vndenam vberiora capi possunt, aut fortitudinis ad mortem pro Reipubl. oppetendã, aut prudentiæ ad perniciem præcauendam, aut industriæ ad propulsandam: si lectionis dignitatem, quod imperium, aut quam libertatem, aut quam aliam populi,

puli,vel Regis amplitudinem cum populi Rom. imperio,libertate,maiestateve conferemus? profer Assyriorũ, profer Persorũ, profer Græcorum imperiũ ficta illa nimirũ & commentitia quædam, ingenio eorũ, qui illa memoriæ commendarunt, quam re ipsa ornatoria, videbuntur. Sin autem quandam in legendo voluptatem sequimur : quid esse iucundius potest, quam tantum rem, à tam paruis initiis profectam, intelligere, tot Reipubl.conuersiones, tot bella tot clades, toties afflictam domi, forisque Rempub. vnam terrarum omniũ dominam, toties recreatam, cogitatione, atque animo comprehendere; Quod si non hic tantus fructus, aut dignitas aut delectatio petitur, & si ex huius historiæ studio solam pietatis laudem expetimus, quam aliam huic lectionem debemus anteferre; hic enim populus nos quondam ex barbaris Italicos, ex hostib. socios ex peregrinis ciues suos fecit: hic nobis habitum, hic linguam, hic vocis sonum impertiuit: hic leges, mores, iura sua concessit : hic libertatis, atque imperii partem dedit: hic industriam, hic fortitudinen, hic, cæteras, quibus ipse quasi quibusdam gloriæ gradibus in cœlũ ascendit, virtutes communicauit. Excitanda est igitur vetusta quasi parentis nostri memoria ac gratis animis antiqua illius tempora recolenda, à quibus quo longius absumus, eo vehementius ab illa veteri Italicæ virtutis indole abhorremus, excitanda est, inquam, tum omnibus Italis, tum huic potissimum Ciuitati, cui imperium, cui libertatem, cui pacis custodiam, cui præsidium Italicæ, id est, amplissimum laudis, ac gloriæ suæ patrimonium moriens vni reliquisse populus Romanus videtur: itaq; eadem Italia trepidis in rebus à patribus

vestris adolescentes, tanquam à legitimis tutoribus opem implorat, si horum potentiam, ac quasi numẽ intuetur, ac spectat, seque vnis ipsorum auspiciis dignitatem suam vel retenturam, vel recuperaturam esse confidit: æquum est, vt, dum illi maioribus distinentur curis, vos, vetera tempora, atq; antiqua illius ornamenta animo repetentes, ad similes actiones vestram industriam, vestra maxime studia conferatis. Etenim nolite existimare, mœstissimis vel priscæ Italiæ, vel antiquæ vrbis Romanæ manibus minus gratum futurum, antiquam suam gloriam orationis vestræ magnificentia celebrari, quam eandem patrum vestrorum sapientia, consilioque reuocari, satis earum nomen in tenebris, atq; in hominũ ignoratione latuit: nunc in lucẽ, atque in omnium conspectum est proferendum, per quos autem? an per barbaros, à quibus oppressum est? an per alienos, quos hæc cura minime tangit? à quibus igitur? à suis, suis, inquam, vel cognatis, si Troianam originem spectes: vel nepotibus si Romanam, defensoribus certe perpetuis, & acerrimis, si Venetæ Reipublicæ propriũ in protegenda Italica libertate charitatem, & fidem animaduertas. Quamobrẽ vos, mecum simul in hoc præclaro communis industriæ curriculo ita Romanam historiam, ac prisca illa tempora retractabitis, itaq; leges, & iura populi bello, paceq; præstantissimi me auctore, celebrabitis, vt quam antea curam de dicendi facultate satis grauem suscepistis, eam vobis nequaquam esse deponendam existimetis, id enim, & huius Reipublic. dignitas, ad quam referre decet omnes curas, & vestra quoq; gloria, ac vtilitas postulat.

CARO-

CAROLI SIGONII DE LAVDIBVS STVDIORVM HVMAnitatis.

ORATIO VII.

Habita Venetiis M. D. L IX.

QVOD PRECATVS sum à Deo Opt. Auditores, illo tempore, quo me primum ad litterarum honestissima studia contuli, vt, si nubam vnquam neque corporis, neque animi contentionem deuitassem, vnde aliquid ad communem hominum fructum afferre possem, hæc eadem mihi aliquando in nobilissimo aliquo auditorum consessu auctoritate publica profiteri liceret, idipsum iampridem singulari DEI beneficio amplissimo Senatus Veneti munere, incredibili denique vestro, ac prope diuino studiosum cumulatissime consecutus, annum enim iam octauum ingredior, quo mihi publico est decreto permisśu, non solum vt in Veneta ciuitate, id est, in ipso prope imperij, ac gloriæ Italicæ domicilio doceam, quod ipsum per se magnificũ, atq; amplum existimatur, sed ita etiam est permissum, vt multo plus amplitudinis atq; ornamentorum egregia huius delatio muneris secum attulerit, quam res ipsa vtilitatis, & commodum, cum me vno, multis posthabitis eligendo, vestram quasi prærogatiuam facile Senatus suffragia consecuta sint atq; illius studia præclara quodammodo cum vestra singulari voluntate contenderent. Ex quo denique mirificum

hunc cepi voluptatis fructum, quod inauditam istam vestrorum animorum in me deposcendo alacritatem, admirabili mei per annos septem audiendi constantia comprobastis, quam eandem si vos in posterum adhibebitis, nullo pacto vereri debeo, quin facile grauissimo eorũ hominũ iudicio satisfaciam, qui me aut antea testimonio, at postea suffragio suo honestissimo decorarunt, id quod vos sine dubio facturos, & frequens hic hodiernus in hunc locum vester concursus, & ea, quã vultibus præfertis humanitas, & hæc inusitata ad audiendum attentio facile pollicetur. Quæ cum sperarem atque omnino eiusmodi multo ante mea cogitatione finxissem, eo animo ad hoc munus hodierno die reuerti, quo me in hanc ciuitatem iam inde ab initio contuli, vt in eo gerendo vel minimas vestras rationes meis etiam grauissimis perpetuo anteferam, atque omnẽ meam curam, ac diligentiam ad vestram potissimum voluntatem, & vtilitatem accommodarem. Neque vero optatius quidquam mihi contingere poterit, quam vestro vniuerso ordine, cui ab ineunte ætate mearum omnium genus vigiliarum dedicaui, si qua in parte potuero, industriam meam probasse, aut ijs: qui singularibus suis in me studiis in hanc me sedem suis quasi manibus imposuerunt, gratiam aliquam retulisse. Quanquam me, si vere dicam, de tota huius muneris, atque officii mei ratione diligentius cogitãti, multa incidunt, quæ in medio prope cursu impediunt, atque perturbant. Versatur autem ante oculos, ac profide in mente infixa hæret, litterarum, & quas ego protendas suscepi, magnitudo, ac varietas, & clarissimæ huius ciuitatis amplitudo, atque celebritas: quibus in

maxima

maxima ingenij mei imbecillitate respondere pro dignitate posse sperare imprudentis, optare vix hominis eius esse existimo, qui grauia sapientum hominum iudicia pertimescat. Nam, vt studiorum dignitatem audacius fortasse: quam sapientius, quotidianis laboribus, atque assiduis vigilijs meis tueri posse mihi persuadeam, qui tamen tantæ Ciuitatis grauitatem sustinebo, aut vestræ demum, Auditores, expectatione, vestrisque de me iudiciis respondebo, quos ex vniuersa Ciuitate, atque ex cuncta nobilitate adolescentes lectissimos, atque excellentissimis ingenijs præditos in hunc locum litterarum causa conuenire intelligo. Etenim quamquam cæteris, qui, hunc locum adeundo, & vestram concionem frequentando gloriam aucupantur, magnæ, ac difficiles omnibu ad decus, & ad gloriam salebræ opponuntur: tamen sic existimare debetis, nullis alijs quam nobis, aut ad laudem augustiorem aut ad famam impeditiorem viam esse propositam. Huius autem difficultatis multæ causa, sed vna illa mihi præcæteris, diutius in hanc quæstionem intuenti, afferri videtur posse, harum, vt dixi magnitudo atque varietas literarum. Nolite enim existimare, quod quidam liberius iampridem in vulgus iactare soliti sunt, inane quiddam hoc studium esse, ac nugatorium, verborum plenum, sapientia vacuum, puerilibus rudimentis, non virili scientiæ accommodatum, sed tanta grauitate, ac magnificentia præditum, tanta rerum, atque artium pulcherrimarum cognitione instructum, vt, qui hoc negligat, is non disciplinam aliquam despicere, verum vniuersum humanitatis genus contemnere videatur, in quod ego eo licentius vos,

pro

pro officij mei ratione, ac mea perpetua erga vos charitate, admoneo, quod hæc studia non imperitæ solum multitudini improbari, sed iam ab eruditis hominibus etiã multis oppugnari animaduerto. Mouet autem ac prope stupidum vulgus detinet non elegantia disciplinæ, nec ipsius scientiæ splendor, sed priuati commodi ratio, & plausis quidam illis ab hominibus impertitus, quos in aliorum potius artium studio occupatos attendit, itaq; duo potissimum artium genera vulgares, & imperiti homines hoc tempore admirantur, duo colunt, ac studio persequuntur, litigandi prudentiam, ac medendi: quod in his non tam cognitionis dignitatem, quam vsum rerum quotidianum, nec tam scientiæ nobilitatem, quam artis necessitatem, nec tam decoris atque honestatis, quam opum, & diuitiarum adiumenta multa posita esse perspiciant: philosophiam vero, optimam omnium discplinarum parentem, nisi quatenus ad eas artes dux esse certior creditur, omnium ne attingendam quidem existimant. Ad eruditiorum longe alia ratio est, hi enim cum sanctissimum, ac præstantissimum vnum sapientiæ studium probent, hoc vnum amplexantur, ac fouent: quorum ingenium, atque industria paululum ab eo declinarit, atque à recte sentiendi prudentia ad bene dicendi rationem se conuerterit, eos vt leuissimæ cuiusdam disciplinæ magistros, nullo pacto audire possunt, in quo quam vehementer errent, quis est adeo rudis, qui non perspiciat? metiuntur enim nostra tempora ex antiquis, cum tamen eorum quam conuersa ratio sit, facile intelligi possit. Antea vnum erat omnium sapientiæ studium, ex cuius quasi latissimo sinu reliquæ artes quodam-

modo

modo effundi, atque omnibus distribui putabantur: vt quamquam alij alias philosophiæ pars studiosius colerent, vnum tamen esset omnium commune consiliũ vt sapientiæ operam darent. Neque enim, cum alij se naturæ rebus inuestigandis traderent, alij mores, & vitam hominum instituerent, alij regendarum Ciuitatum prudentiam demonstrarent, non eodem tamen omnes sua instituta, atque consilia referebant: artes vero philosophiæ ministras, vt differendi, & dicendi facultatem, iidem ita non contemnebant vt cum, earum adiumento remotione philosophiæ quidem ipsã commode tractari, aut cognosci posse attenderet, qui de philosophia præciperent, ijdem etiam Dialecticam, & Rhetoricam, præceptis ac institutis ornarent. quo fiebat, vt nec alij tum essent intelligendi artifices, quam dicendi, nec alia rerum scientia, quam verborum: recte: tantam enim cordis, & linguæ societatem, ac cognitionem esse arbitrabantur, vt nihil esse in lingua posse, quod non ante insedisset in corde, nec omnino orationem vllam esse, nisi res essent, nec res apparere, nisi oratione indicarentur, existimarent. Nunc autem eam artium dissensionẽ hi mores hominum inferunt, vt alij se in rerũ, atque artium pulcherrimarum cognitione versari, alij in verborum singulorum vi concipienda, quasi deteriore quodam in opere, detineri velint. Neque illud intelligunt, quod maxime fuit intelligendum, tum, cum vnus fere omniũ sermo, nihil fuisse, cur magnopere aut lumen interpretũ quærerent, aut magistrorum explorationem desiderarent, sed vnum tantum omnes propositum habuisse, vt subtilius rerum caulas exquirerent, quæque inuenissent. ea lite-

ea literis & posteritati mandarent, de splendore vero, ac copia orationis, cum omnes: quam quisque à natura adeptus esset, dicendi facultatem afferent, minimũ laborasset: hoc autem tempore, cum vetus eorum linguæ consuetudo interciderit, præclara ingenij monumenta seruata sint, vnde omnis nobis sapientiæ, vnde humanitatis, vnde eloquentiæ ratio haurienda sit, necessario alios esse cõstitutos, qui obscurum antiquorum verborũ vsum ostendant alios, qui intima sapientiæ penetralia patefaciant. In qua partitione facienda homines nõ naturam rerum, sed temporis necessitatem secuti, nec rem libidine, sed ratione ipsa metiti sunt. Etenim quæ natura sua disiungi vix poterant, necessitate & consilio separarunt, non ita tamen, vt aut Philosophorũ decreta, verbis non cognitis, aut Oratorum verba rebus non autẽ animo cõprehensis, intelligi posse statuerint. Quin etiam res illa ad mentes hominũ falsa opinione imbuendas accessit, quod, quantum eorum arti sit cõmissum, quibus veterum linguarum explicatio commendata sit, non intellexerunt. illi enim simplex quoddam, rude munus eorum putarunt, in verborum scilicet priscorum significatione, & vsu docendo tantummodo occupatum: cum si verum quærimus, non id solum quod antea Grammaticorũ, sed illud quoq;, quod fuerat Philosophorum, vt Poëtas, vt oratores, vt historicos informarent, vt eorum artificium admirabile aperirent, vt ornate, & copiose dicendi rationem demonstrarent, linguarum interpretibus traditum possimus animaduertere. Quibus in reb. cum, quantũ momenti ad ingenij, & industriæ laudem positũ sit, pleriq; hominum aut videri nolint, aut certe non possint, fa-

ctum

ctum est, vt se in Philosophiæ, quam aut in Poëtarum, aut Oratorum, aut Historicorum studio vigilare videri malint: quasi vere illud præstantioris cuiusdam naturæ, aut acrioris ingenij opus sit, hoc illius hominis, cuius animus altius ad gloriam multis naturæ difficultatibus impeditus euolare non possit. In quo quanto errore ducantur, satis apparere potest iis vel Poëtarum, vel Oratorum, vel Historicorum ortus atque ornamenta considerauerint. Etenim, quis est adeo rerum ignarus, quis adeo à litteris alienus, qui fando aliquando non audierit, multo etiam ante, quam homines in terris dispersi mænibus se, ac vallo sepirent atque ex agris, locisq; syluestribus se in vnum locum incolendi causa referrent, hominum genus quoddã in terris extitisse, qui voce blanda & fidibus canoris homines ad vitam inter se consociandam, & certo quodam iure, certisque legibus deuinciendum, incitauerint, eosdemque ad virtutem, ad decus, & honestatem amplectendam impulerint? aut quis est, qui nesciat, de scriptis iam ciuitatibus, positis legibus iudicijs constitutis, cum sæpe de iusto & æquo controuersia incideret: ac lex cum æquitate, ius cum iustitiæ sæpe contenderet, genus alterum hominum esse exortum; qui curis Ciuilis non ignari, sarciendæ orationis, ac tractandorũ animorum non imperiti, quos illi Oratores, quia maxime oratione quod volebant, assequebantur, nominabant, hominum secum dissentientium animos, quocunque vellent, adducerent; postremo vero, cum & inter ciues discordiæ, & inter finitimos populos bella sæpe pro iure suo retinendo excitarentur, & antiquarum rerum memoria plurimum posteris vel vtilitatis ad pruden-

tiam vel voluptatis ad cognitionem afferret: quis est, quem fugiat, tertium genus hominum eluxisse, qui Ciuitatum origines, ac instituta, qui intestinos motus, ac bellorum incendia, qui consilia, causas, atque euentus omnium ciuilium actionum sibi ad posteritatis memoriam literis consignanda, atque ab obliuione hominũ vindicanda putauerint, Quod si ita est, qui fieri tandem potest, vt aut Poëtam, aut Oratorem, aut Historicum philosopho ætate esse inferiorem dicamus, præsertim vero, cũ, si quod illi voluerunt, oratione obtinuerunt, non omnino inspientes, si consilio, non indisertos prorsus fuisse verisimile sit. Ergo cum ab eiusdem prope incunabulis Poëtæ Oratoresque profecti sint, quibus Philosophi sunt educti, quid est, quãobrem de eorũ dignitate, atque amplitudine dubitemus? nisi forte hos vanitatis, illos prudentiæ, hos temeritatis, illos sapientiæ auctores, & magistros esse censeamus. An vero, cum grauissima sua decreta Philosophos crebris nobilium poëtarum testimonijs confirmare, Poëtas grauissimam quamque quæstionem siue de ijs rebus, quæ à natura proficiscuntur, siue de ijs quæ ab hominibus aguntur, attingere videamus, de eorum sapientia ambigemus? aut cum Oratores, adeo se in administranda Ciuitate iactare sentiamus, vt earum etiam se gubernatores esse profiteantur, aut cum eos, iura leges, instituta Ciuitatum tenere, animorum motus, quod in ijs plurimum vis eloquentiæ dominetur, pro arbitratu tractare intelligamus, nunquid grauius, quam quæ de dicendi ratione traduntur, didicerint, in dubium adducemus; Nam historias quis tandem negare poterit simulacra quædam eius esse Philosophiæ quæ in actione con-

ne consistit: vt, siue virtutum ad imitandum, siue vitiorum ad declinandum exempla cupiamus, siue morem maiorum ad cognoscendum, siue res gestas ad prouidendum quæramus, non à philosopho aliquo facili⁹, quam ab egregio scriptore historiarum aliquo petere nobis liceat. Ergo, quoniam, aut quid aut quantũ huic arti commissum sit, pleriq; hominum ignorant, facile adducuntur, vt grauissimum, ac nobilissimum disciplinæ genus, atque scientiæ negligant. Auxit deinde horũ etiam studiorum apud imperitam multitudinem contemptum naturalis, atque insita quædam artium inter se æmulatio, ac solicita de principatu & dignitate contentio, cum, qui in vna re pares, aut superiores sunt in omnibus se aut pari, aut meliori conditione esse, atque alij quidem se artis vtilitate; alij dignitate, alij voluptate præire oportere contendant: præterea alij omnia dicendi ornamenta, quasi inania eorum, qui audiant, oblectamenta contemnant, alij ne sanctissima quidem philosophiæ præcepta impuro, ac sordido expressa sermone audire possint, &, si quid in altero criminis, ac vitij sit, vt fit, in maius augeant, si quid recti, ac virtutis, id, quoque modo possint, obscurent. Itaque Græca, ac Latinæ eloquentiæ studium, quod primum à Philosophis excitatum, post ab eorum scholis, atque vmbraculis in aciem atque in solem processerat, & concionẽ suam, ac forum diu maxima cum dignitate lustrauerat, & omnẽ denique liberæ Ciuitatis maiestatem iam pridem sustinuerat, pulsum rostris, eiectum curia, exclusum concione, subselliis amandatum, à Philosophis demum contemptum, ineptis interea & rudibus quibusdam literatoribus commendatum, aliquandiu pro-

pe omnibus ludibrio ac despectui fuit. Nunc videte, quantum hi mores ab antiqua illa disciplina desciuerint, atque vna cum reliqua cõmunis vitæ consuetudine prope ire præcipites cœperint. Philosophi quondã grauissimæ cuiusque doctrinæ magistri, tantũ his artibus tribuerant, vt eas non præceptis solũ & commentariis locupletarint, sed ipsi etiam cœtum habere iuuenum, quibus eas communicarent, philosophiæ gloriæ non contenti, voluerint: nos hæc leuissima studia ducimus, & ab his, si dijs placet, quasi à turpitudine quadam refugimus. Illi incredibilem Poëtarũ sapientiam adeo admirati sunt, vt eius auctorem non hominem aliquem sed Deum ipsum esse iudicarint: nos eam ita contemnimus, vt ne erudito quidem, aut certe graui homine dignam existimemus, illi oratores non nisi philosophorum in scholis perfici, & eorum præceptis instrui statuerunt; nos orationem à philosopho, vel antiquis philosophis repugnantibus, separamus. Illi denique has artes fecerunt, vt eas omnis liberalis educationis, omnis ingenuæ disciplinæ, postremo omnis humanitatis, vnde etiã nomen inuenerunt, fontẽ esse vberrimum duxerint: nos tenuissimas grammaticæ tantum rationis quisquilias, & verborum inanem strepitum quendam continere iactamus. Sed cur ego sic ago? aut in re omnibus notissima contendo? non vt vos id docerem, Auditores, quod ipsi vel ingenij bonitate, vel recta educatione, vel iudicij grauitate mihi de harũ artium dignitate profecto assentimini, sed vt iure me perturbatiore animo ad anniuersariam hanc studiorum consuetudinem repetendam hodierno die accedere ostendam, qui, nullis prope ingenij, vel doctrinæ præsidiis fultus,

fultus, vestræ potius vtilitati, quam meæ laudi deditus, maximæ, ac prope infinitæ artis vobis tradendi onus suscipiam. Nam profectò, si cogitare diligenter, si vere existimare volueritis, inuenietis, qui alijs in artibus elaborant, si in vno genere mediocriter excellant omnium propè laudibus cumulari, nos autem, nisi vniuersum prope liberalium doctrinarum orbē expleuerimus, vix posse tolerari. Age enim: medicū quærimus nobilem: satis esse, si editos de illa arte commentarios cognouerit, arbitramur, iurisconsultum poscimus egregium: quid aliud in eo, quam vniuersam iuris ciuilis notitiam, & assiduam iuris interpretum lectionem, desideramus? philosophi vero hoc tēpore se iure hoc nōmen vsurpare existimant, si vnius Aristotelis scripta peruolutarint, ac solemnes, ac tritas quasdam distinctionum, & quæstionum formulas, easque non admodū infinitas mēte, ac memoria cōprehenderint, id quod quanquam difficile est tamen, quia in vnum studium se mens eorum, & industria tota intendit, labore, ac studio comparari videtur aliquando posse. Contra vero, ex nostris est aliquis, qui græcæ, aut latinæ linguæ rationem tenet, illuditur, dicendi rationem cū poëticæ facultate coniunxit, ridetur, antiquitatem habet scientia, & memoria comprehensam: parum est; dialecticæ notitiam addidit: ne hoc quidem satis; omnes philosophiæ partes degustauit, aliquid etiam postulatur, se ipsum enim ita ad veterum imitationem scribendo & loquendo effinxerit, est necesse, vt ipse, si opus sit contendere cum eorū laude pulcherrima possit. Iam quæ tanta ingenij facultas, quæ tam singularis industria quod tam acre studium, quæ tam accurata esse di-

ligentia poteſt, quæ non præſtare, ſed polliceri, nõ ſperare, ſed optare, non dico hæc omnia, ſed minimam horum particulam, non dico poſſit, ſed etiã audeat? Hanc ergo vel ingenij, vel doctrinæ varietatem, atque præſtãtiam ſi quis à me requirit, fateor à me longe abeſſe, ſi in me eſſe debere contendit, dij immortales, quid me miſerius, aut laborioſius, aut afflictius fingi & excogitari poteſt? qui oneri, quod humeri ſuſtinere mei non poſſint, imprudẽs ſubierim, neq; iã per tot ante annos mearũ virium imbecillitatẽ expertus ſim. Quod ſi neq; harum artiũ ea eſſet varietas, neq; horũ ſtudiorũ ea difficultas, & ego vel ingenio eſſem acutiore, vel certe ſtudio acriore, angerer tamen mirũ in modũ, ac cruciarer, cum de huius amplitudine ciuitatis mecum animo cogitarem, ac quantum, & quam reſonans huius conſenſus theatrum quotidie mihi frequentandum eſſet, conſiderarem. Ecquem enim quæſo, ſanum hominem non perterreat, quem prudentem prope non obſtupefaciat, cum illum hæc cogitatio ſubeat? Venetiis hodie eloquẽtiæ præcepta traditurus ſum, in quibus vnis hoc tempore priſcæ extant veſtigia eloquentiæ Venetis audientibus, de antiquarum ſum artium præſtantia locuturus, quorum ea doctrina eſt, vt ab ijs ad exteras etiam gentes permanarit. Venetis iudicantibus, ſum de imperiorum, & rerump. genere ſi ita res tulerit, verba facturus, quorum ea in conſtituenda, & gubernanda ciuitate ſapientia eſt, vt merito ipſis ſolis hodierno die in terris iuſti imperij, & non fucatæ libertatis aut adumbratæ gloria debeatur. Vere dicam, Auditores, ne nunc quidem, cum in vnum argumentum tota mente defixus, loquor, ſatis conſtitutum mecũ habeo, maiore

maiore ne cum animi voluptate, an molestia loquar, voluptatem enim mihi certe affert frequens hic vester conspectus incredibilem, quod in eo spem omnẽ summi honoris, atque eximiæ cuiusdam apud homines cõmendationis collocaui: at vestrorum animorum tacitæ cogitationes timorem inijciunt incredibilem, quorum grauissima iudicia non intimis etiam sensibus exhorrescere, hominis esse putarem longe à pudore, atque à modestia remotissimi. Quamobrem in tanta huius obeundi muneris cogitatione frangerer profecto, Auditores, ac plane conciderẽ, ni me vestra humanitas incredibilis, qua fretus tantum negotium iam diu fortunatius multo quam sapientius tueor, recrearet prorsus, atque reficeret; spero enim vos, quod & adhuc fecistis, & facturus in posterum spondet vestra hæc attentio singularis, si meam voluptatem, atque industriã omnem ad vestras vtilitates referri cognoueritis: nihil à me amplius quidquam, quam quod ingenij mei mediocritas ferre possit, desideraturos. Qua ego spe subleuatus, atque erectus nunc, tanquam vestrorum commodorum, vestræq; laudis auctor grauissimus, &, quod caput est, vestro sæpe iudicio iam, ac testimonio comprobatos, vel tuendi officij mei, vel referendæ vobis alicuius gratiæ caussa audebo vos breui, quamquam non necessaria cohortatione de harum litterarum aut retinendo, aut amplectendo studio admonere. Vnde autem initium sumam, Auditores aut quid potissimum ex tanta rerum infinitate afferam, aut quid denique vobis nouum, aut inauditum proponam? Quis est enim tam aduersus à musis, quis tam omnis expers humanitatis, quem fugiat, atque prætereat, omnium ar-

tium, quæ maiorum industria inuentæ, & nobis proditæ sunt, nullam esse: si voluptatem quærimus, ad oblectandum animum aptiorem, si vsum, ad vitam hominum tuendam commodiorem, si decus ad gloriam consequendam oportuniorem his literis, quæ genere prope infinitæ fructu vberrimæ: iucunditate suauissimæ, ratione honestissimæ sint? Qui remp. qui priuatam, qui domesticam, qui forensem, qui vrbanam, qui rusticam tractare cupiunt, quomodo id assequi sine præceptorũ quæ his litteris continẽtur, lautissima suppellectile vnquam possint? Qui belli, qui pacis studium persequuntur, quemadmodum in alterutro egregie sine harum litterarum præsidio versabantur? postremo non labor, non quies, non otium, non negotium, non adolescentia, non senectus carere diutius harũ literarũ fructu vberrimo, & copiosissimo possunt. Quamobrẽ efficite, vt quod hactenus cumulatissime præstitistis, quã leues vulgi, à quo hæc contemnuntur, ineptias, quam grauem patrum vestrorum, à quibus hæc honorantur, auctoritatem ducatis, vel hoc maxime tempore declaretis, hoc inquã, tempore, quo cum aliarum artium omnium, quæ quondam in pretio fuerunt, tum maxime priscæ, ac germanæ illius eloquentiæ nobilis quasi quædam officina hæc ciuitas facta est. Cui enim obscura sunt præclaræ Academiæ Venetæ instituta? cui inauditi admirabilis eius nobilissimi cœtus ad omnium litterarũ laudem cœpti progressus, admiretur hercule, qui singularem audiat veterum disciplinarum in eo gymnasio institutam descriptionem: vix credat, qui excellentem attendat in disputandis & tractandis rerum obscuratissimarum quæstionibus ordinem: probe obstu-

obstupefiat, qui incredibile perspiciat totius illius præstantissimi conuentus ad omne doctrinæ genus illustrãdum studium, atque ardorem, Quamobrem Lyceo quidem, & porticu, & hortis illis suis delectentur Athenæ, atque eadem, fama, & sermone hominum maiora, quam re, in cœlum laudibus efferant: tantam tamen doctrinam, ac studiorum varietatem, siue eas quærimus, quæ ad veritatem indagandam, siue eas quæ ad rempublicam capessendam, siue eas, quæ ad eloquentiam excolendam pertinent, quod nuper diuino quoque consilio Venetiis est institutũ, non complectentur, aut certe tantam in omnium antiquarum laudum æmulatione gloriam, si bene cœptæ processerint, non assequẽtur. Vos autem, Auditores, cum in omnia alia studia vehementer incumbite, tum in ea vehementissime, quæ vestris potissimum rationibus apta sunt: id est, eloquentiam colite, quæ pacis, & togæ socia, imperij, & libertatis ministra, alienis iampridem pulsa ciuitatibus, externis eiecta regionibus, nobilissimũ in hac vrbe, in qua leges, & iura vigent, in qua priscæ libertatis & antiquæ optimæ Reipublicæ imago expressa est, domiciliũ collocauit. Quam libertatem vtinam cum maxima Veneti & nominis, & imperij propagatione in perpetuum vobis liceat retinere: vt, quod vniuersa & optat, & sperat Italia, vestra prudentia, & vestris opibus in pristinum dignitatis ac libertatis statum aliquando vindicetur.

FINIS.

Lavs Deo Semper.

INDEX IN ORATIONES MVRETI, PRIOR NVMERVS PARTEM alter Paginam designat.

A.

Archi-

L.

M.

Phy-

Senec-

FINIS.

ORAT
MVRE

ORATIONES
MVRETI